de laudibus B. M. Virg. etc.

SIMONIS STAROVOLSCI.

DIVA CLA- ROMONTANA.

SEU

ORATIO

De Laudibus

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS,

Cuius Imaginem D. Lucæ penicillo depictã, apud Czenstochouiam IN CLARO MONTE Poloni circumq; vicinę gentes piè religiosèq; venerantur.

CRACOVIÆ,
In Officina Christophori Schedelij, S. R. M. *Typogr.*
Anno Domini, 1640.

Amplectamur Mariæ veſtigia, (ô Poloni mei) & deuotiſsima ſupplicatione, beatis illius pedibus prouoluamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis.

D. BERNARDVS

Serm. in c. 12. Apocal. ante med.

INCLYTO DYNASTÆ,

CAZIMIRO LEONI SAPIEHA,

Volpenſi, Luboſanenſiq;

PRÆFECTO,

Curiæ Magni Ducatus Lituaniæ

MARSCHALCO,

Domino ſuo Colendiſsimo,

SIMON STAROVOLSCIVS,
Salutem.

VEreor, ne importunus & temerarius interpellator audiam ILLVSTRISSIME DOMINE, quòd occinente paſſim Othomanica tuba, munere hoc litterario compellare Te præſumam, qui armis nunc atque viris potiùs, quàm libris, aut Muſis, opus habes. Sed periculi imminentis grauitate conſiderata, culpam, ſi quæ hîc eſt, libens agnoſco: ſimulq; huius audaciæ veniam mihi facilè dandam auguror; quòd & Maria,

de qua mihi ſermo, quæquæ à nobis pericula, dum ſupplices ante eam prouoluimur, Nati gratia, auerruncare ſoleat; & Tu ipſimet adnata tibi erga Dei Genitricem pietate, ac religione, compellationes huiuſmodi, à pijs ac religioſis viris profectas, in beneficijs numerare ſoleas; & tum demum illuſtriorem Te exiſtimes, cum opera Tua Religio Catholica, ab Hæreſi, cultus Mariani blaſphæma profanatrice vindicatur, & ad aram, Tuæ erga Chriſtiferam Virginem, pietatis atque deuotionis, huiuſcemodi ſcriptis, aut elegantiæ donis, litatur. Eandem quoq; mihi veniam ſpondet, Heroicâ illa, à magnitudine hac animi dimanans humanitas, qua, neminē à Te, alloquioq; Tuo repellis, quin & accedere verecundantes, pauperes, aut religioſos, vltro etiam invitas & prouocas. Nec mirum / ſemper enim ſanguini Tuo propriū fuit, per humilem de grandibus meritis & virtutibus ſuis opinionem, ad ſublimem gloriam eniti, & faſtum execrabilem vitare. Hinc paſsim è proſapia Sapieharum, in Magno Lituaniæ Ducatu, vrbium Præfecti, Dynaſtiarum Rectores, Prætores Satrapia-

rum

rum, Senatores primarij, excellentiſſimi Toparhæ: & quod in vna domo rariſſimum, quinque & viginti, (præter innumeros Reipublicæ officiales & Adminiſtros) præcipuæ dignationis Palatini: quatuor imperatoria poteſtate, & militari peritia conſpicui. Ioannes videlicet, Supremus Cancellarius Magni Ducatus Lituaniæ, acerrimi iudicij vir, & cum militia bonus, tum legatione Romana percelebris. Ioannes Vſuiatenſis Gubernator, Caſtellani Kiouienſis ſtrenuiſſimi bellatoris haud imbellis filius, Terror Moſcouiticus, & toto Septentrione celeberrimæ illius Troicenſis victoriæ, qua centum Ruſſorum millia profligata fuêre, feliciſſimus Strategus. Andreas quoque Palatinus Połocenſis, bellis Liuonicis, & victoria de Moſcouitis apud Vēdam obtenta clariſſimus. Tum denique recentis memoriæ, Leo Palatinus Vilnenſis, Supremus Magni Ducatus Lituaniæ exercituum Imperator, parens tuus ILLVSTRISSIME DOMINE deſideratiſſimus, cum vtraque prudentia omnibus notus, tum ob ſingularem munificentiam, ac liberalitatem, cœlo ipſi charus.

Quos ſanè omnes, cum Principibus populi ſui ille ipſe, ſedere voluit, qui humilia à longe cognoſcit, & delectatur in operibus, non alta ambigentium. Vnicum etenim hoc ſtudium illis, hæc cura aſſidua fuit, vt quam à maioribus ſuis, per longam annorum ſeriem deductam, acceperant Religionem, integram intemeratamq; ſeruarent; maieſtatemq; & exiſtimationem Patriæ, prudentibus conſilijs, concordibus animis, viribus vnitis, opibus & facultatibus ſuis, quàm maximè, nihil penitùs de ſe præſumentes, exornarent. Quod præclaro eorum exemplo, Te quoque ILLVSTRISSIME DOMINE, ſapientiſſimè conatum obſeruare, cùm in diuerſis Reipublicæ functionibus ſuſpicimus, & miramur, tùm in Moſchouitica illa laudabiliter peracta legatione, optimi ciuis animum pernoſcimus, & in expurgatione apud Vilnenſes Caluiniſtici fermenti, verè pij & Chriſtiani Senatoris zelum, venerabundi exoſculamur. Perge vt cœpiſti ILLVSTRISSIME DOMINE, & ſoſpitatu Virginis Fortunatricis, in cuius clientelam dudum Te deuouiſti, proſperè procede, filijs, filiabuſq; beatus.

Qua

Qua in ſpe deſino, ſimulq; Deum Opt: Max: venerans precor, atque adeo mecum omnes peculiari deuotione Mariæ addicti, vt exemplo Tuo, ceu noui Liberij, reliqui Patriæ noſtræ Proceres, concordibus animis & votis, in commune Eccleſiæ Catholicæ, & Sarmatici Imperij bonum conſpirent, barbaros deprimant, Schiſmaticos ad vnionem reducant, Hæreticos exſtirpent, conatuumq; ſuorum in exornando & pacando Septentrione noſtro, feliciſſimos Tecum ſucceſſus ſortiantur. Ita voueo. Ita Tu ſerus in cœlum abi.

APPROBATIO.

Elogium Sanctissimæ Dei Genitricis, Virginis MARIÆ, beneficiorum votis, ad Sacram illius Imaginem, in Claro-monte propè CZENSTOCHOVIAM, miraculosè collocatam, nuncupatis obtentorum, ſub titulo DIVA CLAROMONTANA, ab Adm̃ Reñdo SIMONE STAROVOLSCIO, præclarè confectum; vt ad fidelium mentes, eidem Reginæ Cœli & Terræ, Matriſq; Miſericordiæ deuotas exhilarandas, poſſit in lucem prodire; Ego Iacobus Vſtienſis, S. Th. & I. V. Doct. & per Diæceſim Cracouieñ. Ordinarius Librorum Cenſor, concedo facultatem.

AD DIVAM CLAROMONTANAM CZENSTOCHOVIEN.

AB

Adm̃ Rñdo SIMONE STAROVOLSCIO Laudibus celebratam,

M. IOANNIS CYNERSKI RACHTAMOVI Coll. Maioris Regij P. Melos Votiuum.

O Virgo norma Virginũ,
Mater perennis gratiæ,
O montis, ô clariſsima
Patrona, Czẽſtochouij.
Claremus almo nomine
Tuo, Tuiſq; maximis
Quæ ſentimus miraculis,
Regni Poloni Sarmatæ.
Laudes Tuas quis dixerit?
Laudes Tuas quis ſcripſerit,

Digno satis præconio,
Vel oris alto Spiritu?
Quam primus olim pinxerat,
LVCAS Imaginem Tibi,
Tu pignus hoc amabile,
Das Sarmatis clientibus.
Imago hæc à cætu pio,
In Patriæ discrimine,
Sic promouente Numine,
Seruata prouidè fuit,
Ad vsq; Constantissimi
Fide serenâ Cæsaris,
HELENÆq; sanctæ Cōiugis,
Beatiora tempora.
Hæc Imperatrix optima,
Conatibus prosperrimis,
Vastissimâ voragine
Crucem eruit Sanctissimā.
Vbi Corona Spinea,
Clauiq; sunt cum lancea

Suda-

Sudariaq́ue ſimul tria
Repoſta ſolertiſsimè.
Hinc per manus ab ordine
Longiſsimo, nepotibus
Seris, dabantur inuicem
Faſces, vices per inuidas,
Fatalem ad vſque Nicephorj
Potentiam attritam nimis,
CAROLVS ille, quam pius
Monarcha Francorum, & LEO
Dux Ruſsiæ fortiſsimus,
Iuuêre contra barbaros;
Gentemq́ue Sarracennicam
Fudêre Marte nobili.
At ille gratus Hoſpites,
Donis beat Sanctiſsimis,
Et Cæſari quidem ſacras
Dat Martyrum Reliquias.
Porro LEONI Principi
Tum Sorte contigit bona,

O Virginum Deipara,
Imago Tua pulcherrima.
Nostris in oris inclytum
Salue decus, salue Sacrum
Pignus, Parentis optimæ
Pignusq; Nati paruuli.
Quid de Tuo Dux nomine,
Arcem struis fortissimam?
Vrbemq; nobilissimam,
In corde vastæ Russiæ?
Hæc Arx erit fortissima,
Hæc Vrbs erit ditissima,
Munimen & tutissimum,
Contra Scythas vaferrimos.
Est hoc Asyllum augustius
Quàm Romulus construxerat!
Palladdium hoc fælicius
Quàm quod repertũ in Ilio est!
Virginis hanc Imaginem
Fortem, Serenam, nobilem,

Horreſcet omnis barbarus
Gelonus, & ferox Scythes.
Quid Arce Belzenſi locas,
Pignus Beatæ Virginis,
Princeps Leo? hãc cũ mœnibus
Poſt quinque ſecla deſeret,
Rituſque barbaros, ſimul
Et perduelles incolas,
Græcamque contemnet fidem
Sibi hoſpitam quærens domum.
Aſſurge Bellator potens,
Aſſurge Opolienſium,
Dux omnium digniſsimè,
Dux omnium fortiſsimè,
Fauet Tibi Rex optimus,
Hungariæ, Poloniæ,
Lvdvicvs, omnis & fauet
Senatus addictiſsimus,
Iſtud manet te prodromum
Munus, locandę Palladis,

In altiori montium
V l a d s l a e fęlicißime.
Scis è quibus periculis,
Hæc te fauens erexerit
Patrona? quantum debeas,
Scis Vindici munus Tuæ?
Illa illa Bellatrix pia,
A te Scythas teterrimos,
Acerrimo in diſcrimine
Preſsit! citiſsimè cadit
Ventoſus ille Spiritus,
In pertinaces poplites!
Tibi datur victoria,
Spes, vita, pax optatior.
Iacent vias per inuias,
Per teſqua, per ſenticeta,
Mille hoſtium cadauera,
Calcata militiâ poli.
Ergo vt monent in ſomnia
Diuinitùs tibi data,

Imaginem augustißimam,
Loca sereno vertice.
Et Patribus purißimis,
Custodiam firmißimam
Concede, qui PAVLI Patris
Vitæ innocentiam probant.
Hìc collocata, prouide
O Virgo mater Virginum,
Matrumque Virgo maxima,
Nos quæ premat necessitas.
At ista quænam stigmata?
Vultus refert amænior?
Quis ausus est tantum nefas,
Lanista vecordißimus?
Audite gentes vltimæ,
Audite gentes intimæ,
Vel quæ rigetis Arctico
Aquilonioque sub Ioue:
Vel quæ caletis ignibus
Præfulgurantis lampadis:

Audite quod ſcelus! ſcelus!
Quod ille ſcelus! ecquod ſcelus!
Patrarit Huſsitaniæ
Aſſertor Hæreſis vagus;
Et mente luſcus, & oculo,
Oculo ſtrabo, menteque ſtrabo,
Zis- (ô quid impedis pudor
Monſtrum ſine vt eloquar ferox)
Ziſka improbiſsimus latro,
Et proditor nequiſsimus;
Vecors animicida, impius
Veterator innocentiæ,
Maſtix ſacrarum imaginum
Vaferrimus, crudiſsimus:
Et ſannio inſanniſsimus,
Et Natta perditiſsimus,
Et Vappa fallaciſsimus,
Et morionum peſsimus,
Ingeſsit iſta verbera,
Incuſsit iſta vulnera,

Impreſsit iſta ſtigmata,
Imagini Sanctiſsimæ.
O vbi Fas iuſtiſsimum!
Vbi, vbi, Ius ſanctiſsimum!
Vbi Deus ſunt fulmina
Horrenda, triſulſa, aſpera?
Hem condole ô Regum optime
VLADSLAE condole? condole?
Iniuriæ grauiſsimæ?
IAGELLO Victor Pruſsiæ.
Dolet, dolet Rex optimus,
Victor dolet fortiſsimus,
Iubetque nobiliſsimos
Addi colores: ſed cadunt!
Manent, manent grauiſsimæ
Iniuriæ recentia
Et cruda ſemper vulnera
Et cruda ſemper ſtigmata.
At perditi ſicarij,
Diuina vos acerrimè

Semper ſequetur vltio,
Nemeſiſque præſentiſsima.
Vos vota Ciues optimi,
Preceſque ſacras iungite,
Nobis ſit vt benignior
Regina Regni Sarmatum.
Exempla mille comprobant,
Et mille millium optimam,
Et mille millium intimam
Propenſionem Virginis.
Nonnulla STAROVOLSCIVS,
Author grauis, ſtylo graui,
Fide graui, grauiſsimis
Lectoribus, tandem citat,
E pulueribus Annalium,
Si tuque contemptiſsimo,
Originem antiquiſsimam,
In publicam lucem eruens.
Audi preces alacrius
Quæ fuſa plebes vndique

Effundit ad Te Sarmatum
Munimen augustißimum?
Hic mentis, ille corporis,
Æger, petit ſolatium;
Et impetrat! quid amplius?
Proſtratus horror exulat!
Noſtram Tibi Poloniam,
Tuam Tibi Poloniam,
REGEMq; deuotißimum,
Et poſteros, &, qui recens
Nunc natus eſt, infantulum,
RENATA cum pijßima;
Et cum Senatu patriam,
Laborioſamque inuicem
Doctoribus cum prouidis,
Iuuenumq; amæno cum grege,
ACADEMIAM, nos ſupplices
Tibi Clientes porgimus.
Tu nos Tua fortißimâ
Iuua manu, ne pertinax

Hostis viam præoccupet,
Et obruat periculis.
Tandem vltimo certamini,
Quod styx parat vaferrima,
Præsto adsis omnes quæsumus,
Deprælíatrix optima.
O Virgo norma Virginum
Mater perennis gratiæ,
O montis ô clarissima
PATRONA, CZENSTOCHOVIJ.

ORATIO
DE LAVDIBVS DIVÆ CLAROMONTANÆ.
Vulgò Czenſtochouienſis.

NEminem credo veſtrum latet, Auditores Catholici, inter ipſa humanæ reparationis exordia, à Clementiſsimo Deo nullum firmius, præſentiusq; noſtræ imbecillitati ſtatutum perfugium, quàm eius Auguſtæ Virginis tutelarem fidem, cuius decor beatarum mentium gaudium & admiratio eſt, cuius vterus Dei domicilium fuit; quæ altiſsimo illo, ac propemodum incredibili, ſed priſcis Oraculis conclamato, euocatisq; de cœlo teſtibus ſubſignato diuini afflatus connubio, dotalem accepit vniuerſitatis dominationem. Atque hinc eſt, quòd eam Eccleſia Sancta apellat, *Cælorum Reginam, & Principem mundi.* Summus verò Eccleſiæ Paſtor, & Doctor Gregorius, *Chriſtianorum propugnatricem & Dominam.* Damaſcenus, *vniuerſi Orbis terrarum decus, & ornamentum.* Beatus Ephrem, *Lætitiam Sanctorum.* Epiphanius, *Matrem gentium.* Methodius, *Gaudium noſtrum ineffabile.* Cyrillus, & Ildephonſus, *Matrem ſanctæ ſpei.* Damianus, *Turrim eburneam,* propter fortitudinem aduerſus omnes inſultus Sathanæ. Mellifluus denique Bernardus,

Reparatricem parentum; purificationem poſterorum; reſtauratricem ſæculorum; eo, quòd illa protulerit eum, qui erexit cadentem Adamum; illa profuderit fontem qui lauit genus humanum; illa genuerit verbum, in quo reſtaurata ſunt omnia, ſiue in cœlis, ſiue in terris ſunt. Hæc itaque ſuperni & inferi Orbis Domina, cùm Chriſto in ſublime recepto, inſolito ſanctitatis ſplendore, creſcenti Eccleſiæ præfulgere cæpiſſet, & quæ maieſtatem Nati, vultu, exemploq; ferebat, reconditum etiam in pectore haberet diuinorum conſi. liorum, & ſecretioris doctrinæ promptuarium, vnde cum Apoſtolis vniuerſa Eccleſiæ poſteritas diteſceret; multi qui de Euangelio quidquam inaudiuerunt, vel è remotiſsimis etiam à Paleſtyna prouinciis, accenſo animo Hieroſolymas concurrebant, ad videndum cæleſte illud prodigium, Matrem & Sponſam Dei: Virginem vnà, & Genitricem Chriſti: Caſtam ſimul & fœcundam puellam: Fœminam parientem, ſed abſque viro: Mulierem, ſed abſque detrimento integritatis. Diuam talem, quæ vel ſolo intuitu pudicitiam cordibus, mentibus lumen, affectibus amorem cœleſtium, rerumq; terrenarum contemptum infundebat. Prout inter alios credentes deuotos, reuerſi ab ea in Siciliam cum epiſtola, Vrbis Meſſanenſis Legati, Senatui ſuo expoſuerunt: comprobauitq; inter ſuos Græcos Dionyſius Areopagita. Qui accedens ad Virginem, vt eam contemplaretur, ſplendore penitus offuſus, & cœleſti illa pulchritudine, quæ ex vultu fulgurabat incenſus & perculſus, in eam eſt coactus prorumpere ſententiam, quòd *niſi à Paulo Magiſtro ſuo mortalem didiciſſet fœminam, Numen cœleſte credidiſſet, Numen diuinum adoraſſet.* Cuius pio exemplo, cùm plurimi è noua illa Chriſtianitate reperirentur, qui Domini ac Dei ſui in cœlo regnantis Matrem coram videre, & videntes iure ſuſcipere atque reuereri optarent, nec omnes tamen vndique ad eam proficiſci, ſuoq; deſiderio ſatisfacere poſſent, prudens ac pium conſilium inuentum eſt, vt Mariæ vultum ſaltem in

tabel-

tabella depictum exciperent; hocq; perenne monumentum, tum præsentes, tum absentes ad suum solatium retinerent, aliiq; aliis communicarent. Atque ita Numinis dispositu. D. Lucas Euangelista, pictoriæ artis peritus, vt Theodorus Lector asserit, Augustum eius vultum, quem perpetuò deprecabuntur omnes diuites terræ, ab ipso archetypo exceptum, primus in imagine exhibuit. Quam, cum ipsa Virgo intuita fuisset, gratiam formæ suæ, quemadmodum Nicephorus Callistus ait, diuinitus immisit, multorum desideria explere cupiens, qui cùm longè dissiti multisq; impedimentis dissipati, admirandam illam Angelis faciem coram intueri ac venerari non possent, ex missis hinc inde exemplaribus, sanctum ardorem quoquomodo mitigarent. Atque ita eius vbique exempla formæ, per manus Lucæ depictæ, expetebantur à Sanctis hominibus, quò semper in oculis versaretur similitudo absentis, cuius præsentiam distantia loci suffurabatur. Inclytaq; hæc Cœlorum Regina atq; Domina Mundi, vt ipsa in terris, Filio cœlis recepto, erat refugium egentibus, auxilium petentibus, solatiumq; credentibus; sic ab eodem in æternum Dei templum illata, facta est nostrarum ærumnarum solatium, dolorum omnium medicamentum, naufragiorum salus, portus salutis. Quod ipsum Diuus Anselmus considerans. *Magna*, inquit, *fuit misericordia Mariæ erga miseros adhuc exulantis in terra, sed multò maior est iam regnantis in cælo*, quæ, cùm passim ad sacras Imagines suas religiosè cultas, diuersa miracula patrare, ad solatium nostrum, consueuerit, tùm quos in clientelam dedititios acceperit, næ illis beatè contingere non modo futuro perennis vitæ successu, sed isto ipso humanorum euentuum vsu prosperrimo euincit. Probauit hoc toties Orbis Christianus: Probauimus nos Poloni: experimurq; etiamnum assiduè ad Imaginem eius, opere & artificio Diui Lucæ percelebrem Czenstochouiæ: vbi Deiparam Virginem in Monte Claro, velut in specula confidentem, vniuer-

 sis Re-

Regni prouinciis gratiam impetrare, ac per Diuas cuiuſque Tutelares, velut in præſidia diſtributas (*virgines* quippè *adducentur poſt eam*) ſingulis opportuna beneficia diſpertire certum putamus. Habet enim Cracouienſis Satrapia *Salomeam:* Submontana Regio, *Cunegundim:* Sileſia, *Heduigim*, Pruſsia Regia, *Sophiam*, Ducalis verò Boruſsia *Barbaram*, & aliæ prouinciæ alias, quæ omnes ad nutum Virginis, quaſi vbique per illas ipſa ſit præſens, rerum ſatagunt, Clientum ſuorum vota promouent, neceſsitatibus prouident, nouis etiam, ſi opus eſt, modis, pericula fugant, ſalutem creant. Si itaque huius Imaginis antiquitatem, populi Sarmatici religionem per tot ſæcula continuatam, ingentia Virginis in Rempub. Polonam beneficia collata, eademq́; tam probatis Cœlo ſignis conteſtata, conſiderauerimus: Erit ſanè vt Poloni tantæ ſuæ felicitati gratulentur, quòd imploratam in omni alea Virginis opem, tot indiciis adeò certam habent ac conteſtatam, vt planè obſtrictam ſuis rebus Deiparæ voluntatem glorientur. Cœterum, quemadmodum Tertullianus *priorem* dixit, *eſſe animam, quam litteram; & ſermonem, quàm librum; & ſenſum, quàm ſtylum.* ſic ad eum modum & nos, priuſquam de laudibus Inclytæ Cœlorum Reginæ, in Imagine Czenſtochouienſi, à Diuo Luca repræſentatæ, quidquam dicemus, & in Claro illo Monte, clariſsima illius beneficia, toties nobis, tùm publicè in vniuerſam Rempub. tùm priuatim vnicuique ſupplici exhibita, rudi quamuis & craſſo, ſed ingenuo ſermone deſcribemus; conſequens eſt & per quam vtile, vt erectis in ſublimè oculis, Diuam ipſam Soſpitatricem noſtram deuotiſsimè veneremur; quo, & pro hactenus præſtitis nobis beneficiis, condignas ei grates referamus, & in futurum videlicet, contra quaſuis aduerſitates & pericula, præſentiſsimum eius auxilium nobis imploremus. *Eia ergo Aduocata generis humani, quæ nobis ſine corruptione Deum peperiſti, quæ Natum tuum venerantes, in ſingulare patrocinium recepiſti, quæ gentes Chriſtianorum, te, Fili-*

umq́;

umq́; tuum collaudantes illustrasti, quæ tuis clientibus atque dediticiis vltroneam gratiam spopondisti, adsis quæsumus propitia, & exaudi ad te suspirantes Sarmatas tuos, quorum Regina appellari aliquando voluisti, vt quemadmodum à suscepto Euangelio nostris in necessitatibus ad te confugientes, salui & incolumes viximus; sic & deinceps ad sacram Iconem tuam accurrentes, tuaq́; beneficia & patratas virtutes enumerantes, sarti tecti maneamus: tùm cœlestibus consolationibus repleti, cum cœlestibus mentibus glorificemus Deum, qui te creauit sapienter ab æterno, & in Matrem intactam sibi elegit. Dignum itaque est, vt te verè Beatam dicamus Deiparam, & cum Sancto Iacobo, Semper Beatam, & omnibus modis irreprehensam Matrem Dei nostri magnificemus, honorabiliorem quàm Cherubim, & gloriosiorem quàm Seraphim. Tibi enim, ô plena gratiæ, vniuersa creatura gratulatur, Angelorum cœtus, & hominum genus, quæ es Templum Sanctificatum, Paradisus spiritualis, Virginum gloria, ex qua Deus carnem assumpsit, & puer factus est Deus noster, qui est ante sæcula. Audi igitur ô benigna & dilecta, & tàm mihi de tuis laudibus dignè loquendi gratiam, quàm meis Auditoribus grandia tua beneficia intelligendi, mentem cœlitus inspira, & faue.

Quæ in Ecclesia Dei, ab ipso veritatis fonte Christo Iesu, atque eius Apostolis deinceps, & Summis Pontificibus, diuinitus instituta sunt, fidei misteria, salutis Sacramenta, vitæ Euangelicæ dogmata, ritus & ceremonias ad veri Numinis cultum spectantes. A. N. hæc singula & vniuersa impij homines, infruniti Apostatæ, blasphæmiq; Hæretici, vituperare consueuerunt. Præcipuè verò Sanctorum in cœlo regnantium inuocationem, sacrarumq; Imaginum cultum, peruicacissimè oderunt. Atque inter omnes electos Dei, Virginem Mariam, quæ Sanctorum omnium Regina est, virulentis mendacijs afficiunt: sacrasq; eius Iconas, apud quas maxima mortales beneficia, ipsius precatu, à Numine Supremo, consequi solent, infinitis fere blasphæmijs, emotæ

mentis homines, proſcindunt & deridẽt: quo vel ſic à cultu Virginis, ſimplicem plebeculam, & innocuam puerorum ætatem, auertere queant; mendaciorumq́; ſuorum magiſtro Diabolo, præſtito hoc officio complacere ſtudeant. Atque ita, in primordiis ſtatim Eccleſiæ, Iudæorum & Eunomianorum blaſphæmia in rudi populo ſparſa fuit, miracula Glorioſiſsimæ Virginis, *non eſſe vera miracula, ſed opera miniſteriumq́; Sathanæ, & iniquitatis.* Ita ſubſequentibus ætatibus, Copronymus Imperator, & Vigilantius Hæreticus, inuocationem Dei Genitricis piam, ſalutarem, & vſu ſempiterno Eccleſiarum comprobatam, quaſi *impiam & Diuino honori detrahentem*, repudiarunt. Quos imitatus Sarcerius maledicus, approbato portentoſo illo de ſtirpe Virginis, Gnoſticorum Hæreticorum commento, *cùm multiplicem culpam, tùm incredulitatem* Sanctiſsimæ Dei Genitrici imponere non veretur. Ita Fauſtus Manichæus, infauſto Rabbini Heccados, atque Seleuci, tramite procedens, meraciſsimas nugas de parentibus Virginis, eiuſdemq́; natalibus commentus eſt. Ætate quoque Origenis prodierat *impudens Hæreticus, nomine Celſus, qui non modò Mariæ, humile & ſimplex vitæ genus, quod fabri eſſet coniunx, inuerecundè illudens, non tantùm non fortunatam, nec Regiam prolem, adeoq́; vix ſuæ viciniæ notam, ſed potiùs exoſam fuiſſe dicebat:* ſed & Chriſtianis hoc nomine inſultare veritus non eſt. Ita floreſcente, ſub Conſtantino Magno, Eccleſia Chriſti, Epheſina Synodus, turpiſsimos Neſtorij errores, circa appellationem Matris Dei, ſingulari authoritate ſua meritò preſsit. Quos patrum noſtrûm memoria primarius Apoſtatarum blatero, Martinus Lutherus, iterum excitauit, *immodicèq́; cultum Mariæ à Catholicis prædicatum*, ſcriptis ſuis ſtupidiſsimè aſſeruit. Exq́; eius infernali diſciplina, impudicus Melanchton, nos caſtos Dei Genitricis cultores, Colliridianis, qui in Syria ſtatuæ Mariæ, ethnico more libabant, annumerare non veretur. Ita Franciſcus Lamberti

berti eadem impietate imbutus, negat Beatam Genitricem Mariam, virginitati perpetuæ ſe voto aſtrinxiſſe: quod idem ipſum cum eo blaſphæmant Conradus Pellicanus, Theodorus Beza, Petrus Martyr, Henricus Pilius, Bernardus Ochinus, Oecolampadius inſanus, atque virulentus Bucerus. Ita eiuſdem farinæ conſodales, Caluinus, Selneccetus, Heerbrandus, Bullingerus, Brentius, Seruetus, Zuinglius, maledicis linguis ſuis, honorem Virginis Theotocon proſcindunt. Immaniores hac in parte, antiquis etiam illis Iconoclaſtis, vt qui non imagines ſacras modò confringunt, & ludis impiis contaminant, ritum Eccleſiæ Catholicæ in illis colendis profanum habentes, ſed omnem prorſus religionem Orthodoxis, acerbiore odio, probro & ioco vertunt: præſertim qui ſe vulgo Proteſtantes, aut Puritanos appellant. Siquidem impudicè *negant, poſſe facere miracula Mariam.* Inter illos autem Marbachius infernali peſte infectus, *dicit etiam Chriſtum ipſum per Mariam Matrem miracula edere non poſſe.* Quem ſecutus impudens Illyricus, *aſſerit ſigna ad Imagines Virginis Intemeratæ facta, fraude noſtra confiicta eſſe; adq; ſtultam ſuperſtitionem omnium refert.* Inſanus denique omnium Galaſius vociferatur, *magnam ex eo Chriſto iniuriam conciliari, quòd* præter mentem illius, *omnium noſtrum Aduocatam vocemus Mariam: eiuſq; Imagines ſacras congrua veneratione paſſim proſequamur.* Iurè de his omnibus Regius Pſaltes dicit. *Poſuerunt os ſuum in cœlo, & lingua eorum tranſiuit terra* quòd & mortalium quemque optimum detractionibus ſuis proſciderint, & Superos omnes, Sanctorumq; omnium Sanctum Chriſtum Ieſum calumniis affecerint. Iurè & Sponſarum Sponſa de illis, tanquam ingratis clientibus olim, nunc capitaliſsimis hoſtibus ſuis conquæri poteſt. *Filij matris meæ,* quos olim ſalutari fonte regenerationis, tanquam vtero, Catholica peperit mater Eccleſia: *Pugnauerunt contra me,* verbis mendacij, verbis calumniæ: & maledictionibus detractionibusq; *acuerunt lin-*

guas ſuas ſicut ſerpentes, vt inquit præmemoratus Pſaltes. *Cuſtodes murorum*, impij, blaſphæmi, peruicaces, fidei damnatæ, & frontis perfrictæ, *inuenerunt me, & tulerunt pallium meum*, pallium laudis, pallium honoris, quo à Sponſo meo fueram adornata.

Sed cõtriti ſunt inſidiatores, Catholici mei, ab eo ipſo, qui in Matrem eam ſibi elegit, & præ omnibus Sanctis, atq; beatis mẽtibus, excellentiorẽ habere voluit. Cõculcati ſupplantatores per eã ipſam, quæ dudũ iam caput ſerpẽtis infernalis contriuit. Confutati derogatores per Spiritũ Sanctum, qui de ea, per os Sanctorũ Patrũ & Doctorũ Eccleſiæ, magnifica locutus eſt, eiusq; ſuperno afflatu, *Beatam eam dicunt omnes generationes*. Quin ipſis etiã Sectariis, Balaami more, aut Pilati, prophetantibus cõfitentibuſue, *ſuperior, dignior, atq; nobilior quacunq; creatura, cenſetur eſſe Maria*, ſicuti ſol in medio cœlo poſitus, qui eſt primus Planetarũ, nobilitate, dignitate, ſplendore. Vnde etiam & interceſsione ſua, plus apud Deũ, quàm cæteri Sancti valet, pluraq; beneficia mortalibus apud Filium, vti Mater dilectiſsima impetrat. Mediatrix enim eſt noſtra, Aduocata noſtra, Domina noſtra, quæ ſola hoc ſæculo, in tam vario opinionum tumultu, veræ & Chriſtianæ pietatis Teſſera eſt. Quam, qui maximè colit, is ſanè digniſsimum ſe Deo reddit, & Matrem clementiſsimam experitur in neceſsitatibus, cum inter inimicos Eccleſiæ palam Dei Genitricem veneratur. Exempla infinita in promptu, ſed vnum ſufficit, quod paucos ante annos ipſe, ex ore Viri Magnifici Petri Potocij Palatinidæ Braſlauienſis Varſouiæ excepi. Aderat ille in Comitiis Regni, municipalis Legati è Satrapia Halicienſi officio fungens; cũ interim ſtabuli eius præfectus quem egomet ipſe optime nouerã Buczaciæ in Pocucia manens, Chriſtianorũ Bacchanaliorum tempore, parũ Chriſtiano animo ſe propria manu ebrius, interemiſſet quòd virgo quædã nobilis, quã deperibat, fuerit ſibi à parentibus inter conuiuandum, in matrimonium denega-

ta. Tanquam impius igitur & in ſemetipſum crudelis, extra cœmiterij ſepta tumulatus, ſuffragiisq́; fidelium priuatus: Qui tamen ſpiritum per cruentam frameam, qua ſe tranſuerberauerat, exſpirans, pœnitens facti ad Matrem miſericordiæ, non in vanum ſuſpirauerat; quæ eum ſubitò Filio ſuo commendatum, quòd cum quodam Caluiniſta, pro ſuo honore, cum vitæ diſpendio, in Lituania, armis decertaſſet, ad expianda in purgatorij igne perpetrata ſcelera, ad certum tempus relegauit, quærendiq́; auxilij modum, prorſus defunctis aliis denegatum, apud Deum Patrem precibus ſuis impetrauit, vt nocte eadem Hero ſuo inſomnio varſouiæ apparens, caſus ſui miſerabilis hiſtoriam, & clementiſsimæ Reginæ Cœlorum promptum erga clientes ſuos affectum, veluti viuens præſensq́; coram enarraret, petens per miſericordiam Dei, Sacrum pro ſe Miſſæ Sacrificium quantociùs peragi. Euigilauit bonus ille Dominus luceſcente iam aurora, & ſomnio tam tragico conſternatus, quæſiuit à pueris ſuis, num ſtabuli ſui præfectus reapſe cubiculi ſui ianuam intraſſet: cumq́; animaduertiſſet per ſomnium tantùm ſecum locutum fuiſſe, conſuluit ſacerdotes quid fieri putarent; quibus in iuuamen defuncti pronis, quamuis poſt duas vix ſeptimanas, rei ſeries ab arcis præfecto fuerit illi perſcripta, triginta ad altaria priuilegiata Miſſarum ſacrificia, pro eo fieri curauit. Et cum ipſe militari vitæ totus eſſet deditus, varia bellorum pericula animo voluens, propoſuit in poſterum toties capite diſcooperto, in honorem Virginis Beatæ aſſurgere, quoties miraculoſum iſtud nomen Maria fuiſſet ab aliquo interloquendum prolatum. Nec ſanè immeritò. Non enim adoratur Deus, vbi Virgo exulat, nec debita veneratione honoratur Filius, vbi Mater negligitur; (*quæ aliquid Numinis habet,*) inquit doctiſsimus vir Ericius Puteanus, *poſtquam nobis Numen peperiſſet.* Deusq́; Optimus Maximus, qui olim miracula per virgam Moyſis, per pallium Heliæ, perq́; aſinam Balaami operabatur,

tur, nunc per Sanctos ſuos & eorum reliquias, perq; Virginem Mariam, quam ſibi ab æterno præordinauerat, eiusq; ſacras Icones, tanquam digniora inſtrumenta gratiæ ſuæ, Hæreticorum opinione patrare non poterit? Falluntur impij homines falluntur! & à parente mendaciorum ſuorum Lucifero excœcati, vti toto cœlo errant, ita impiè & veſanè piam Sanctorum inuocationem, Deiq; Genitricis auxiliare numen, contra omnem experientiam, & doctrinam Catholicorum negant, inquientes; *quòd mortui non audiant preces noſtras, nec videant neceſſitates; vel ſi in cœlis ſunt, valde à nobis diſſiti maneant.* Cum tamen & Sancti omnia in Deo, iuxta Eccleſiæ Sanctæ doctrinam, velut in ſpeculo aliquo viuo videant, & ſciant neceſsitates noſtras; & Virgo Sacratiſsima, veluti Mater, plus illis omnibus, apud Vnigenitum ſuum valeat, atque omnia poſsit. Et exinde eſt, quod virtute diuina concedente Crucifixi imago, Diuum Thomam de Aquino allocuta fuerit Neapoli: Sanctam Heduigim Reginam Poloniæ Cracouiæ; & noſtra ætate, vti fertur, Ferdinandum II. Imperatorem Viennæ. Beatæ quoque Virginis imago, audiuit orantem Diuum Bernardum Romæ, cum mente deuota verba illa hymni, *Monſtra te eſſe Matrem* proferret. Conſolata eſt Vladiſlaum Locticum Regem Poloniæ, in maximis Reipub. turbationibus ad ſuum auxilium Viſliciæ confugientem. Auertit oculos ab illo ſcelerato homine Anatola, de quo ſcribit Nicephorus. Retinuit Getam barbarum in porta Conſtantinopolitana, animo cruento in vrbem cum exercitu irruentem. Allocuta eſt infinitos Sanctos Dei viros, atque fœminas; ſed præcipuè Beatum Hyacinctum Cracouiæ; atque illum æditum Romæ, qui Sanctum Alexium intromittere in templum nolebat. Denique Loretana Imago, vnà cum domuncula Beatiſsimæ Virginis, vt venit à Nazareth in Dalmatiam, atque inde in Italiam, toti iam Orbi manifeſtum eſt. Sacræ itaque Imagines, quæ in contemptu apud Hæreticos ſunt, obſtetricante conditoris

poten-

potentia, cum ad eum clamamus, & vota in cœlum emittimus, vbique terrarum audiunt, vident, loquuntur; & cum ille iubet, manibus palpant, loco mouentur, atque diuersa, supra captum humanum, miracula faciunt. Quod igitur à tot iam sæculis perpetuus Christianorum consensus approbauit, Virginem Poloni, cum vbique passim, tum in Imagine Czenstochouiensi, opere & artificio Diui Lucæ percelebri, lubentes veneramur; eò loci vota in periculis, eò munera in prosperis & grates perferimus. Ibi eam colimus, vbi beneficia quotidie persentimus. Ibi peculiari quodam modo è tota Sarmatia confluentes, Patriæ salutem ei commendamus, quæ Orbi vniuerso salutem attulit, quæ nobis Christum peperit. Etenim quia ille Filius Dei est, ideo hanc proximo à Numine gradu colendam Polona simplicitate putamus, eiusq; imagines, vti Matris Dei, dignas esse omni veneratione iudicamus. Nisiq; ipsa loqueretur, nullius oratoris indiga patrocinio Pietas Maiorum nostrorum, quæ tot ac tantis, per multa sæcula Virginis erudita singularibus beneficiis, argumentum & occasionem dedit, suæ religionis ad sempiternam hominum memoriam commendandæ, aduocarem hîc statim in testimonium, viros tàm gentili cæcitate offuscatos, quàm Euangelica luce, in primitiua statim Ecclesia illustratos; viros, inquam, illos, à quibus antiquior stabat religio, tot miraculis approbata, quàm vt recentioribus vndequaque tandem conquisitis argumentis loco moueretur, & animis concepta fides euelleretur. Vt igitur hîc omittam Euagrium, qui asserit Diuum Petrum mysteriorum Christi imagines secum Antiochia Romam detulisse: & Hierosolymis effigiem Crucifixi, auro argentoq; celatam, temporibus Apostolorum, inter Christianos exstitisse: & Diuum Pancratium Antiochiæ in collo gestasse: & Nicodemum multas Crucifixi imagines fecisse. Omittam & Fœlicem Astolphum vetustissimum scriptorem, Canonicum Saluatoris, qui dignam sanè, & pietati Catholicæ peru-

tilem ponens operam, ſcripſit Hiſtoriam, de miraculoſis Dei Matris imaginibus, vbique gentium religioſis. Vnicum hoc illis omnibus opponam, qui Imaginum vſum Apoſtolis ſacrum & ſanctum, vel ignorant, vel non credunt; quòd nunquam Saluator noſter, viuifici vultus ſui effigiem, linteo impreſſum vello, vel ad Abagarum Edeſſanum miſiſſet, vel Berenicæ reliquiſſet, vel totius corporis in ſepulchro cubantis, ſacra veſtigia exſignaſſet, niſi ad religioſam quandam memoriam, in animis fidelium ſuorum, ſacrum Imaginum honorem ac venerationem extare voluiſſet: idq; ſibi quam carum eſſet, ſi multis patere voluit exemplis, tum verò, qui eas impiè temeraſſent, quàm dirè cenſuit affligendos, vel manifeſtis prodigiis demonſtrauit: vti inter alios Dlugoſſus quoque noſter, ſimplicißimus veritatis aſſertor meminit: quem ſcriptorem, vetuſta pridem fama orbi commendauit, etſi non toto ſplendore Hiſtoriæ fulgentem, & præter naturæ curſum ordinarium, ad ſalutem & ædificationem noſtram ſpectantia ſobriè ac moderatè narrantem. Quia timidi etiam eſſe debent mortales in iis, quæ ad pietatem ſpectant, perturbandis & conuellendis, quod ab Eccleſia ſeiuncti, impudentißimè efficiunt. Rectè olim à ſapientibus dictum fuerat, quòd *vultu etiam ipſo ſæpè læditur pietas*. Nullumq; ſupplicium ſatis acre reperitur nunc in eum, qui Deiparæ Virginis cultui, temere conatur officere, eiusq ſacras Icones, quas fideles à principio ſtatim Eccleſiæ venerabantur, veluti Dei ipſius, ac humani generis hoſtis exhorreſcere, manuq; ſcelerata violare auderet. Poſſem infinita eiuſmodi punitionis adducere exempla, ſed ſufficiet vnum atque alterum circa Czenſtochouienſem Imagiem patratum enarrare (neque enim numero, ſed genere teſtium, ſtat arbitrium veritatis) quo proinde Polonorum meorum animi, ſponte in admiranda quæque inclinati, tot ſtupendis de Virgine altius hauſtis, non excitarentur modò, verum etiam inflammarentur ardentius; eamq; vti Soſpitatricem Sar-

matiæ,

matiæ, ac Reginam ſuam, omni cultu hyperduliæ venerarentur. Sed vt ad nos hæc Imago ſacra peruenit, operæpretium eſt, vt prius vobis A. N. breuiter ediſſeram, quod credo ipſi etiam calumniarum fabri, apud quos ſopitus cultus Virginis, non memoria mortua eſt, ſi cordati ſunt, nec ſtomacho imbecilli, nõ nauſeabunt: quia non errant rerum veritates cum errantibus annis, qui hîc abſque recenſione enarrabuntur. Primus itaque Diuus Lucas cœpit depingere imagines Saluatoris noſtri, & Virginis Mariæ; tum Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, vti teſtatur Nicephorus Ciſtus lib. 1. cap. 43. & Simon Metaphraſtus in Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica: quorum vterque ante Conſtantini tempora florere cœpit, & à primitiuæ Eccleſiæ Patribus, qui Apoſtolorum temporibus vicini fuêre, per traditionem accepit, vidit, manibus contrectauit, & vti decebat, in medio cœtu fidelium veneratus eſt. Vnde & Imago Czenſtochouienſis, eiuſdem Diui Euangeliſtæ penicillo traditur eſſe exarata, primo poſt Aſſumptionem Beatæ Virginis anno, ſuper eadem tabula cypreſsi, qua Dei Genitrix in ſua domuncula menſæ loco vtebatur. Hanc apud ſe aſſeruabant Virgines deuotæ honorificentiſsimè, quæ in domo Zebedæi, ab ipſa Virgine Maria, ſtatim à tempore Aſcenſionis Chriſti Domini congregatæ, in caſtitate perpetua vixerunt, vſque ad tempora Diuæ Helenæ Imperatricis, habentes penes ſe paſſionis etiam Dominicæ inſignia: puta Coronam ſpineam, clauos quibus cruci affixus fuerat, lanceam, & tria ſudaria. Vnum, quo inuolutus erat Saluator noſter, cum in ſepulchro poneretur: Alterum, quo præcinctus fuerat nudus in cruce pendens. Tertium demum, quo exceptum erat caput, Diui Ioannis Baptiſtæ, cum ab Herode decollatus fuiſſet. Has omnes reliquias ſanctas, tranſtulerat poſtmodum Diua Helena Conſtantinopolim, Perſarum aſsiduas incurſiones verita, ne auferrentur inde. Scribitq; Anzelmus in Actis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quòd velum huius Ima-

ginis, quo honoris cauſa obuelabatur, à primis veſperis ſabbati, nemine tangente vltrò complicabatur; manſitq; ita imago aperta vſque ad veſperas diei Dominicæ: quibus finitis opera Angelica iterum obuelabatur. Quin & domus illa Zebedæi, in qua tot annis habitauit cum ſodalibus ſuis Virginitatis Primiceria Maria, & in qua poſt eius Aſſumptionem glorioſam in cœlum, aſſeruabantur in illa perſecutione Chriſtianorum ſupra enumeratæ reliquiæ, tum etiam tempore euerſionis vrbis Hieroſolymitanæ, ſub Tito & Veſpaſiano Impp. ſic volente Deo, ſic protegente Virgine Sanctiſsima, inuiolata, & gentilibus inuiſibilis manſit. Ibi demum Helena ſancta, templum Virgini Mariæ dicatum, ſumptu magnificentiſsimo exſtruxerat; quod primum in Orbe, ſub eius titulo ſteterat. Sed dudum iam à Saracenis dirutum, locusq; ille, vti teſtatur Chriſtianus Adrichomius, ruinis nunc ſæptus eſſe dicitur, ne ſcilicet à barbaris contaminaretur, vbi primùm incontaminata Virgo manſerat, deinde à Chriſtianis Veſtalibus caſta mente colebatur. Sacra verò Imago eius, quæ nunc in Claro monte Czenſtochouiæ conſpicitur, in capella palatij Bizantini, cum alijs reliquiis, à Conſtantino Magno repoſita, in veneratione fuit apud Græcos Imperatores, ad tempora vſque Caroli Magni. Qui, poſtquam in Saracenos, terram Sanctam tunc occupantes, terra, mariq; expeditionem ſuſcepiſſet; inter alios Principes Chriſtianos, qui eum vltrò pietatis cauſa, in ſacrum bellum euntem, comitabantur, habuit quoque in commilitio Ruſſiæ Principem nomine Leonem, qui ſubinde ab expeditione ſacra reuerſus, Vrbem à ſuo nomine Leopolim exſtruxerat, quæ hodiedum pietate & omnibus virtutibus floret. Igitur cum ab illo ſacro bello, Carolus Magnus cum victore exercitu reuerteretur, quod in Annum Chriſti octingenteſimum primum incidiſſe Hiſtorici ſcribunt, Nicephorus Imperator tunc Græcanicus, quòd ſe contra barbaros armis iuuiſſet, gratiam Carolo Magno eò maiorem relaturus, in vrbem

bem

bem suam gratulabundus excepit: interq; munera regia quæ ipsi, & suis purpuratis obtulit, etiam Sacrarij supra memorati reliquias exhibuit, quas Cæsar Germanicus, maiore affectu quàm gemmas & aurum excipiens, in templo Beatæ Virginis, magnificentissimè à se in gratiarum actionem pro felici reditu, Aquisgrani exstructo, reposuit: vbi post fata & ipsemet sepeliri voluit. Imaginem verò Dei Genitricis Mariæ, in abitu ex vrbe Constantinopolitana, Leoni Russiæ Duci donauit, Nicephoro etiam Imperatore annuente, quòd non aliam mercedem gloriosus Princeps, pro susceptis laboribus, aut gratiam pro expensis belli, ab vtroque Imperatore postulasset. O sanctam animam! quæ post aurum non abiit, cum ab vtroque Cæsare diuersa sibi munera offerentur. O inclytum Heroem, qui oblatos sibi varios titulos respuit, contentus nomine tituloq; Ducis Christianorum populorum, quibus iure naturali præerat. O verum Christi athletam, qui non sperauit in pecuniæ thesauris, sed omnes reditus suos, & omnem prorsus gazam à parentibus sibi relictam, in sacram militiam impendit. Quin & præfatam Imaginem Diuæ Theotocon ab Imperatoribus sibi donatam, quàm maximè potuit, gemmis, vnionibusq; inæstimabilis pretij exornauit, ac in Russiam suam asportatam, in arce Belzensi reposuit; Græci ritus sacerdotibus, eius cura commissa. Paucis itaque diebus postmodum, domum illius omni prosperitate, subditos lætissimo rerum vniuersarum prouentu, totumq; ipsius Dominium pace desideratissima, veluti alterum Obededon, in cuius domo Arca veteris testamenti hospitabatur, largitor omnium bonorum Omnipotens beauit. Et post occasum ipsius, cum cœlibem ducendo vitam, nullum legitimum successorem reliquisset, Cazimirus cognomento Magnus. Anno à partu Virginis quadragesimo nono, supra millesimum & trecentesimum, armis reliquam vniuersam Russiam Regno Poloniæ adiunxit, solo Belzensi Palatinatu excepto, qui protectione Virginis

Theo-

Theotocon, immunis à noſtratium vaſtatione remanſerat. Cæterum corruptis in libertate incolarum ex fœlicitate moribus, cum ſanctitas & deuotio diminui cum tempore cœpiſſet, Ludouicus Poloniæ atque Hungariæ Rex, Anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo, cum exercitu ſuperuenit, & compreſsis inſoleſcentibus armis, Vladiſlaum Ducem Opolienſem, cognatum ſuum, toti illi prouinciæ præfecit. Huic cum aliquoties Ruſsi, vti externo, & remotè manenti in Sileſia, rebellàſſent, eumq; floccipendiſſent, præcipua Belzenſium concitatione & ſuperbia: Vladiſlaus regio cum exercitu citò veniens, cum omnem Ruſsiam tumentem compeſcuit, tum præcipuè de rebellionis authoribus, qui erant Belzenſis Satrapiæ nobiliores, iuſtas pænas ſumpſit. Et in Sileſiam ſuam properè abiens, Imaginem B. V. prædictam ſecum aſportauit. Quam ibidem in Ruſsia adhuc manens, quòd in obſcuro aſſeruaretur, poſt obtentam ſtatim victoriam, in auguſtiorem ac honoratiorem locum protulerat, nequaquam eius pulchritudinem atq; maieſtatem quandam inditam ſatis demiratus. Dumq; eam die ac noctu aſsiduis precibus, pro ſua erga Diuam innata deuotione veneraretur, euenit, vt Scythæ Lithuanis coniuncti, incurſione inopinata Vladiſlaum obſiderent, nec ille ſubditis ex compoſitò refragantibus, tantas vires contrahere potuerit, vt barbaris Marte aperto reſiſteret; dubius de ſalute ſua, ad Virginis opem implorandam confugit, anteq; ſacram eius Iconem prouolutus, tum maximè opem cœleſtem inuocaret, cum à barbaris arx in coronam oppugnaretur, ſagittaq; per feneſtram cadens Virginis imaginem in gutture tetigiſſet. Tum Vladiſlaus caſu conſpecto in ſpem erectior factus, exclamauit. *Cur non vindicas iniuriam tuam ô Virgo potentiſſima? cur hoſtes non repellis à tuis cultoribus ô certiſſimum auxilium Chriſtianorum. Audi, audi ô benigna ad te confugientes, & ſuccurre, & Polonos tuos tibi ſemper deuotos, libera à morte*

libera

libera à captiuitate. Miraculum! vt primùm verba effatus eſt Vladiſlaus, nebula ſtatim circumdedit muros & propugnacula, in qua miſsi cœlitus bellatores inſonuerunt derepentè armis, ita, vt barbaros & à tergo & à fronte perteruerint, fugamq; effuſiſsimam capeſſere cóëgerint, rebus omnibus & oppugnationis inſtrumentis ad mœnia relictis. Quos Vladiſlaus cum ſuis inſecutus, partim cecidit, partim viuos in ſuam poteſtatem redegit, & poſtmodum Ludouico Regi ſuo, cum reliqua alia præda, in Hungariam miſit, Diuæ Virginis opitulatu, miraculoſam ſibi victoriam obueniſſe ſignificans, atque ſimul rogitans, vellet ſibi Rex clementiſsimus, pro præſtita in defenſione prouinciæ opera, eam ſacram Imaginem, benignè donare. Annuit Ludouicus bello tunc Veneto impeditus, & Vladiſlaus paucos poſt menſes in Syleſiam, hæreditariam prouinciam ſuam abiens, cum Imaginem, quam ſecum aſportare intendebat, loco ſuo mouere non poſſet, ſolito in faciem proſtratus exorare cœpit, vt quid de ſua Imagine Diua ſtatuere vellet, ſignis aliquibus ſibi ſignificaret. Nocte igitur ſequenti, cum prolixa oratione, ſuſpirijs & contemplationibus fatigatus obdormijſſet, reſponſum quod deſiderabat à Diua in ſomnio accepit. In Poloniam duceret Iconem, inq; Claro monte Czenſtochouienſi collocaret, vt nimirum eſſet in eo Regno veluti in arce præſidium belli & pacis, ac denique velut in aperto diſcriminum campo, ſignum confugij in quod lumina conuerſi Poloni, Reipublicæ malis præſens remedium implorarent, rebusq; pro Religione præclarè factis, in dies inclareſcerent. Lætus eapropter euigilauit, iter ſtatim in Poloniam arripuit, ad Czenſtochouiam poſtridie Feſti Sancti Bartholomæi ſumma cum deuotione venit, ſacram Imaginem in loco deſtinato repoſuit; templum & monaſterium erexit, reditus aſsignauit, curamq; religionis Fratribus Sancti Pauli Primi Eremitæ, & cuſtodiam commiſsit, Anno reparatæ ſalutis, Milleſimo trecenteſimo octuageſimo

ſecundo. Vbi hodiedum etiam ab ijſdem ſodalibus honorificentiſsimè aſſeruatur, magna vndiq; populorum frequentia, deuotionis cauſa eò accurrente. Et habet equidem Sicilia Epiſtolam Virginis ad Senatum Meſſanenſem datam, cuius veneratione in periculis protectionem ſibi impetrat. Habet Peruſium annulum eius quo Ioſepho viro ſuo ſubarrhata fuit. Habet reliqua Italia, velum, vittam, zonam, veſtes, lac, capillos, domunculamq; illam, in quo Verbum æternum noſtram carnem induit. Habet Germania tunicæ illius partem. Nos Poloni præter Imaginem eius, Diui Lucæ penicillo depictam, nihil præſtantius habemus: eò accurrimus in periculis, eò vota noſtra mittimus in neceſsitatibus, eò grates referimus in proſperis atq; lætis ſucceſsibus. Et multum herclè ibi melioris metalli deuotio, in ſtatuas, ingenij in ordinem, laboris in imitationem naturæ, olim expenderat: pendebantq; paſsim in extenſo argenti teretis filo, pretioſa ſupplicum vota, & pœnè integra fælicitatis Polonæ in donarijs hiſtoria: Sed hæc vniuerſa Bohemicus prædo, cognomine Zizka, Huſsitanæ Hæreſis aſſertor, cum ſuis ſequacibus, qui ſe Taboritas vulgò appellauerant, Anno à Virginis partu, trigeſimo ſupra milleſimum & quadringenteſimum, vi aſportauerat: ſacramq; Iconem ſuis ornamentis ſpoliatam, ſecum abducere volebat. Sed cum loco currum mouere nequijſſet, cui veræ Virginis, Chriſtiq; manſuetæ parentis effigies ſuperpoſita fuerat, & iuncti plauſtro boues, fixi pondere immobiles perſiſterent; quidam ex proteruioribus conſcenſo curru, ita manu ſcelerata imaginem in terram deiecit, vt tabula à concuſsione tres in partes facilè diſrumperetur; facie attamen tùm Virginis Sacræ, tùm pueri IESV intacta & illæſa. Iniuriam attamen iniuriæ alius latro addere cupiens, bis in faciem virginis gladio euaginato percuſsit, & licet fruſtratim confringere, vti intendebat haud potuit, cicatrices nihilominus duas, ſacro vultui intulit, quæ nulla pictorum arte deleri poſſunt. Cæterum fecit hoc penuria ſcri-

pto-

ptorum, fecit & iniuria temporum, vt in alijs solet, quòd nomina sceleratorum & cognomina (ex primoribus enim Bohemorum erant) non fuerint connotata; quorum alij extemplò vt numen Diuæ violarunt, cæcitate à Deo puniti fuerunt; alij morte subitanea vt in patriam redierunt, perierunt; alij morbis varijs affecti miserè tota sua vita excruciabantur; & si quæ in domos suas spolia templi intulerunt, non modò diuitias proprias, sed & familias suas perdiderunt. Nec fama deses fuit statim, (quam & chartis insedisse haud nego) quæ non inuentis tunc scriptoribus, in ore auribusq; populi domum fixit, nostræq; ætati fidelissimè tradidit, vt pauci ex cuneo illo prædonum, ad propria cum spolijs redierint, Nemesi eos diuina vbique persequente. Qui autem sceleratorum manus euaserant, Monachi redeuntes ad cœnobium suum, Imaginem disruptam cum lachrymis collegerunt, sepultisq; occisorum cadaueribus, ad reparandum eam totos sese adiunxerunt, & Cracouiam venientes, vt ab Hæreticis trucidati & spoliati fuerant, casum Vladislao Iagelloni Regi, è victoria tunc Prussica reuerso, lachrymabundi retulerunt. Indoluit piissimus Rex, deq; religione Virginis, vt vix alius, eximiè meritus, *apud Machometanos quàm apud Hæreticos religionem Diuorum simulacris maiorem esse*, affirmans. Quod per ea tempora Constantinopoli expugnata, compluribus in templis Christianorum, quæ in vsus & blasphemias circumcisorum cesserunt, Sanctorum imagines in integro, & libros Ecclesiasticos à Turcis asseruari inaudiuerit. Iconem igitur sacram in Prætorio Cracouiensi reponi iussit, curam eius in restaurando & custodiam Senatui vrbis committens, ad exornandum verò eam gemmas & aurum de gaza sua regia deprompsit. Vtq; primùm reparata fuit: (coloribus toties de nocte pereuntibus, quos de die periti pictores apponebant, vt cicatrices relictæ essent testes tantæ impietatis apud posteros) Proceres quosdam Regni & aulicum suum comitatum, ad deducendum honorificen-

tisſimè Czenſtochouiam vſque miſit, inq; loco priſtino reponi mandauit, vt ordinatione Epiſcopi Diœceſis illius, ritu antiquo cultus religioq; Sacro pignori decerneretur. Vbi itaque ad radicem montis ventum eſt, nulla præeunte voce humana, occultiore duntaxat vi quadam equi retenti gradum ſtiterunt, ſacrumq; pondus Sacerdotes humeris ſuis, in verticem montis ad templum detulerunt, cœleſti olim deſignatione erectum, cum hymnis & pſalmodiis diuerſis. Exinde locus populi frequentia, nec non vicinorum Principum religione, & munificentia ſacratior haberi cœpit: factumq; deinceps conſecutione temporum, vt extremis conflictati periculis Poloni, totiens præſentiſsimum ab ea religione remedium perſentirent. Gaudent enim ibi Reges, Pontifices ac Dynaſtæ Sarmatiæ, ſimplicitate lacrymarum, ſacriſq; promiſsis fortunam Regni emere: & cum exorauerint, auditas preces ſculpta deuotione in laminis confiteri. Quinimo remotiores etiam Deſpotæ, Vicinarumque Regionum principes, felices Regnorum ſuorum euentus, quos propter Deiparæ protectionem ſunt emeriti, miſsis eò donariis, palàm viſitantibus Sacram Imaginem meditandos exponunt. Quapropter optarem hoc loco eam mihi in dicendo vim, eam copiam ac facultatem, qua pro Virginis Soſpitatricis gloria deſcribere poſſem, vt bellis Pruthenicis durantibus, barbariciſq; incurſionibus nos aſsiduè vexantibus, peſtis atque famis tempore inſuper, nobis, benigna Diua, ad ſacram hanc Iconam accurrentibus opitulata eſt. Profectò etenim ſi nobis ante oculos ponamus, miſeram illam ex omnibus municipiis Maioris Poloniæ, poſt cladem Choinicenſem, ciuium fugam, in ſyluarum abditis, cliuoſiſq; montium receſsibus, ſalubrioris aëris temperiem venantium, tametſi omnia calamitatis exempla animis complexi fuerimus, neſcio an aliquid dignum ea miſeria cogitare poterimus. Alios domi ſuæ ſæuiſsima peſtis enecabat, ſparſa per omnes Regni Prouincias, ob nimiam humi-

dita-

ditatem autumni; alios prodeuntes ante ipſos lares exanimabat; alios excluſos, carorumq; latebras per ſolitudinem inueſtigantes, laſsitudo, morbusq; opprimebat. Deprehendebantur paſsim in viis demortui, nec niſi ob inopiam veſpillonum tardius humati, & hoc ipſo ſeminaria contagionis exiſtimati; nec pauci ſpeluncis cauernisq; prout ſors ferebat, iniecti potiùs quàm illati, quòd ſpirantia luem cadauera, nemo ſine horrore inſpicere, nunquam verò ſine certo periculo poſſet attrectare. Nullum tam immani contagioni erat in carpendo diſcrimen, nulla conditionis, quòd mortem pediſſequam haberet, nulla ſexus ratio habebatur: non ætate confectis, ac iam ſpontaneo naturæ debito in mortem concedentibus, non mulieribus, non infantibus parcebatur. Templa vndique ac veſtibula templorum, quinimò extra vrbes & oppida, pagoſue, noua paſsim cœmiteria, foſſæq; obuiæ, ſepulchra ſufficiebant, ac tabe confectorum cadauera, quæ magiſtratus conuulſi induſtria inueniri poterant, ſuperiniecta tantùm modica humo, in Ruſſia atque Lituania præſertim, hauriebantur, cadentibus à complexu parentum paruulis, ac paulò poſt ipſis parentibus in funere ſocietatis, quos penè raptatos cæteri foſsis inferebant, ipſi quoque ſemianimes, iniuria illuuieq; conſumpti, mortem ſæuam licet, malis tamen ſuis optatiſsimam haud fallaci mora opperientes. Et quamuis antea ſæpius ac poſtea, peſtilenti tabe, Dei Optimi Maximi in peccata hominum ira atque vindicta, coflictata eſt tota Polonia, nunquam tamen magis fuit deformata quàm tunc, ſerpente è caſtris Regiis, quo totius Regni nobilitas ob potentiam Crucigerorum Pruthenicorum euocata fuerat, in omnes prouincias contagione: quæ vrbibus & villis exhauſtis, Regnum ad vaſtam quandam ſolitudinem redegiſſet, niſi ſpectata tantæ Matris pietas, apud cuius ſacram Imaginem Cazimirus Rex, cum Senatu, cernuus ſupplicabat, in præſentiſsimis periculis obſtitiſset. Lugebant non modò templa

& fora,& viæ publicæ,ſed etiam agri & vici, omniumq; in animis inſederat facies vrbium affectarum. Nihil infrequentius, nihil deſertius, magisq; ſolitarium apparebat; vt Polonia ipſius ſolitudinis ac vaſtitatis domus quodammodo videretur; Proceribus cum reliqua nobilitate, ad diuerſa Regni confinia diſsipatis, contra Liuones, Scythas, Moſchos, contraq; Teutones Marianos Boruſsicos, malis noſtris inſultantes. In ipſa vrbe Cracouia, quæ Regum ſedes & Imperij Sarmatici domicilium eſt, ſemicluſæ tabernæ ferè omnes viſebantur, vacuæ apothecæ, frigentia mercatorum publicanorumq; tabernacula, ſquallentia omnia, ita vt ciuitatem quam Virgo Regina Cœli præ cæteris adamare, ſingulariter protegere, prorſusq; in deliciis habere debebat, vix aliquis agnoſcere poterat. Secuta deinde eſt fames, rerumq; omnium penuria magna,ob paucitatem agricolarũ,& atrociſsima cum vicinis bella, quæ in longum deinceps tempus durarunt. Quare frumentaria emporia defecerant, mercatus vacillabant, nummus rarenter proueniebat, & publicorum negotiorum felicitas grauiſsimè impediebatur. In tanta nihilominus varietate, ita ſemper ſteterunt res Polonorum, vt nunquam eatenus verti potuerint, quin ſemper maiores, ſuis poſteris meliorem reliquerint Patriam, tanquam nati ad eam gloriam & dignitatem viri, quam ex Virginis protectione non ſolùm conſecuturi erant poſteri, verùm etiam inde velut à nouis Regni incunabulis, per omnes Religionis ætates, perpetua ſerie ad hæc vſque tempora propagaturi. Quanquam enim pietas Matris omnium, ex officio redundet in omnes, peculiari tamen fauoris prærogatiua, gratiarum oculi in Polonos inflectuntur, propulſatrix enim iniuriarum ac malorum noſtrorum eſt, quos & in clientes ſibi aſſumpſit, Reginaq; noſtra appellari voluit. Cuius ſanctitudo, licet pridem rerum admirabilium apud præfatam Imaginem patratorum, in tota ferè Sarmatia noſtra, religionem & cultum habuerit præcipuum, ſpeciali attamen

modo

modo fecit illum celebriorem, depulsæ rato Superum dispositu, præfatæ calamitatis nostræ felicitas. Nec multò enim inde damnata solitudine, restituta celebritas & frequentia, mercatus oppidorum prisca institutione in statos dies reuersi, breuiq; tùm arma vbique cultissima spectari cœpta, tùm colonorum numero, nexu finitimarum ciuitatum, atque etiam vicinorum Regnorum commerciis, in pristinum statum res, fortunaq; Polonorum fauente Virgine, reuocata est. Eius rei gratam recordationem hodiedum Cracouienses recolunt, & institutis die Sebastiano Martyri sacro, ad ædem illius extra muros vrbis puluinaribus, Magistratus interuentu, ac totius Cleri supplicatione, religionem solemnem habent. Meritoq; detracta hostium spolia, gloria sanè à sæculis inuisa, Czenstochouiam primùm aduexisse, ad pedes Virginis Fortunatricis deposuisse, ex hoc monte Claro velut gloriæ theatro felicitatem toti Orbi Christiano partam ostentasse Principes ac Proceres nostri consueuerant. Nam vt Poloni Martia semper indole, multa præclarè ab incunabulis Regni sui gesserint, vbi tamen suscepto Euangelio ad Religionis causam animum traduxerunt, inuectaq; dein sub Ludouico Rege sacra Deiparæ Imagine, peculiari sese deuotione ei obstrinxerunt, inde quasi initio memoriæ sumpto, factis longè illustrioribus apud omnes inclaruêre. Et quamuis interdum temperata cœli fortuna fortes animos agitauit, tristiaq; lætis admiscuit, ita tamen indolem suam ad virtutem & constantiam, non temeritate, sed sanis consilijs; non præsumptione, sed spe, ac Religione, erga Deiparam Virginem traduxerunt, vt cum nullum esset genus belli, in quo illos terra mariq; nõ exercuisset fortuna, Crucigericum, Bohemicum, Morauicum, Hungaricum, Pomeranicum, Brandeburgicum, Suecicum, Germanicum, Moschouiticum, Liuonicum, Dacicum, Scythicum, Turcicum, atque demum ciuile, non in Masouia atque Silesia modò, sed in ipsis etiam visceribus Regni toties gestum, semper tamen

hostes,

hostes, aut maleuolos ciues, gesſiſſe tantùm bella, Polonos verò, præſertim ſaniorem partem Reipublicæ, ſi non ſemper viciſſe, confeciſſe certè viderentur. Fueruntq; ſanè Sarmatæ noſtri priuſquam ſe Virgini dederent, apud omnes Septemtrionales bellorum gloria clari, ſed apud Machometanos inprimis in exiſtimatione atque admiratione habiti, ob inuictum animi robur, & conſtantiam in Religione Catholica, quod non diſiunxerint ſe à capite Eccleſiæ, vt Græci & Boſnenſes, nec ſpreuerint ritus Orthodoxos Romanos, vt Hungari & Dalmatæ, quos illi omnes facilè ſibi ſubiugarunt, quamuis Matrem Dei præcipuo cultu venerarentur, & ſuam pietatem in eam, etiam nummis publicis, cum titulo Patronæ excuſsis, palam teſtarentur. Sed inquirere in Diuina non eſt noſtrum, nec eſt fas Chriſtiano. Ea autem omnia, quæ noſtri Maiores in cultum Virginis, priuſquam ſacram eius Iconem, quæ Czenſtochouiæ nunc conſpicitur, felici quodam omine acquiſiuiſſent, præambula quædam fuerunt, ad eam, quæ conſequentibus ſæculis Deipara Virgine fauente adepturi erant, dignitatis excellentiam: quando ſcilicet ad animorum fortitudinem, ſacratioris fidei cultus acceſsit, & diuino planè inſtituto, vſque eo religio Virginis Regno inſerta eſt, vt cum hæc ſola omnia apud illos in bello, pace, rebus ſecundis & afflictis, æquè poſſit, eapropter omnia in grauiſsimis etiam Reipub. neceſsitatibus, ea fortitudine atque prudentia præſtiterunt, quam iurè Chriſtiani omnes mirentur, barbari exhorreſcant, Sacri Eccleſiæ Faſti laudare queant. Omitto hîc Societates, paſſim in oppidis ac villis, Virgini Theotocon, peculiari obſequio deuotas. Omitto ſacras eius Imagines, compluribus per Poloniam in locis, miraculorum fama illuſtres, ingenti copia auri, gemmarum, & argenti veſtisq; pretioſæ exornatas. Taceo templa in honorem Diuæ magnificentiſsimè exſtructa, cœtusq; virginum Deo dicatarum, & Sacerdotum, ad decantandas Mariæ, eiusq; Filij laudes, liberaliſsimè fundatos.

datos. Taceo & donaria à pijs Principibus, priuatisq; hominibus, cum vbique magna, tum in Claromontano Czenstochouiensi templo, inæstimabilia ferè appensa: cum hæc sint priuati potius iuris, quàm publici, priuatoq; animo, quàm publico oblata, quamuis interdum pro publica salute. Vir enim bonus & sapiens, ciuilisq; officij non ignarus, plus omnium vtilitati, quàm suæ consulere debet. Vnde publici boni custodes, vt communi consilio, studio atque opera, patriam charissimam tuentur, ita quoque & vota pro vniuersa Repub. precesq; Deo sæpissimè offerunt. Sed cur toties motibus intestinis, barbarorum incursionibus, vicinorum bellis, fame durissima, & aëris lue infecti, contagione laboramus? Ad arcana æterni consilij decreta, ista referamus, nostraq; vitia non Cœlites culpemus: cum accedente corruptioris doctrinæ caligine, cassisq; virtute moribus, ne tenuem quidem serenæ lucis radium, inter complures ciues nostros, ob abusum libertatis, videamus, quibus aliquando lux veritatis Catholicæ ingentibus illata splendoribus, non vno sæculo, fulsit ad salutem. Itaque, si gentes aliquando religione florentissimas, Regnaq; & vrbes sanctitatibus exaggeratas, hodie calamitatibus afflictas, decidisse penitus miramur ac deploramus; ad animos deducere debemus, non eo loco res sedere nostras, vnde moueri non possint, ac in imum fortunæ quoquo tandem impulsu recidere. Nam quod vbique religiones ac sanctitates, ex obrepentibus fatiscere cæperunt hæresibus, ac demum conciderunt, tametsi æternam promittere constantiam viderentur, eam quidem in promptu causam habet, qua nunquam luci cum tenebris conuenire potest. Vicinam videamus Hungariam. Hæc per multa sæcula floruit; quamdiu in ea Virginis cultus, & Catholica religio. Ast vbi eius incolæ, Maiorum suorum pietate reiecta, varias dissecti in sectas, cœperunt Regni Patronam linguis blasphæmis proscindere, & à Romana Sede, quæ caput Orthodoxorum est, per maleuolentiam desci-

ſcere, ita ſtatim deridiculè & ſceptra Hunnica amiſerunt, & florentiſsimam illam Pannonum prouinciam, quæ POMVM AVREVM, ob metalli eius ſpeciei, & rerum vniuerſarum copiam, à vicinis nuncupatur, cladibus ingentibus attritam, populationibusq; aſsiduis acciſam, ſupra ſanguinem, tributis grauiſsimis Turcæ afflixerunt, quod Reginam cœli, nummis publicis impreſſam, inani gloriatione impij homines iactarent; quemadmodum Iudæi olim, à traditionibus Moyſis recedentes, Templum Domini iactabant, à quibus offenſus ipſe Templi Dominus, meritò receſſerat. Non incuria itaq; mirabitur quiſpiam, in prouincia tam vaſta, in gente tam accurata, nemini veniſſe in mentem, qui rem ad totius Regni ſalutem & gloriam ſpectantem, vel obiter attingeret, qui de Reipub. ſtatu bellorumq; ſucceſsibus ſcribens, non aliquando ſpiritum ac calamum, quem in eo etiam genere Patriæ debebant, ad religionem Virginis reuocarent, ruentiq; plebi in manifeſtas inſanias, & blaſphæmiam cœlitum, demonſtrarent viam ſalutis. Præſertim cum impij ſequaces, virulenti Caluini, perfidi Zuinglij, atque Serueti, reaſſumpto conſiderati Neſtorij errore (quem ſummo iure acriter proſcindit Epiphanius) Deiparam Virginem in appellatione Matris Dei, vafrè circumſcriberent, eiusque ac Chriſti Domini ſacras Imagines, ſcelerata manu, noui Iconoclaſtæ prophanarent. Quod noſtra etiam ætas, proh dolor! in caſtris Catholici Imperatoris Rudolphi. II. maximo cum ſcandalo piorum vidit, recepto Virginis ſoſpitatu, à Turcis Strigonio: quam vrbem barbari quinquaginta duobus annis poſsidebant, libris & imaginibus in æde Cathedrali conſeruatis. Quæ omnia ſtatim noui iſti reformatores Euangelij, in fauillam per ludibrium redegerunt; atque vrbem ipſam paucos deinde poſt menſes, credo in pœnam peccati, turpiter amiſerunt. Ex quo apud Machometanos, quàm apud reformatos (ſi placet Superis) Chriſtianos, religionem Diuorum ſimulachris maiorem eſſe, nemo Catholicus

licus ignorat. Sed & ipsi gloriantur, hac in parte sibi cum Machometanis, vt ad Iudæos accedunt, minimè conuenire: hoc fortasse Iudæis etiam peiores, quòd hominem vltra barbaros exuti, nō dūtaxat in Imagines, sed in Diuorū corpora, sacrasq; exuuias, inhumana prorsus immanitate desæuiant. Puritanos maximè loquor Caluinistas, & eius farinæ perditos homunciones, quibus nihil vnquam in religione visum est sanctum, nisi quòd vltra omnem barbariem ad feritatem belluinam accederet, imò & hanc superaret. Hac nouitate Religionis periit Germania, & nec in hodiernum, à temporibus Luteri, à ciuilibus bellis respirare potest. Hac inuicem sese laniauit Gallia. Eadem infecti aberrarunt ab orbita Dani; cœcutiunt Sueci, Cimmerijs inuoluti sunt tenebris Noruegij; debacchantur in templa & Sanctos Battaui: amiserunt lumen veritatis Angli, & Scoti: blaterant nugas Caluini, Allobroges, & Heluetj, Græci, Sclauones, Rasci, Thraces, Dalmatæ, Bulgari, Bosnenses, Misij, atque alij, iam pridem in seruitutem Turcici Tyranni sunt redacti. Omnes autem isti proprio sanguine priùs inundati fuerunt, ex quo in Religione vacillare cœperunt; quod nihil peræque omnium mentes obcœcat, ac exacerbatas, amentes vecordesq; reddit, quàm temeritas ex mutata religione concepta. Sed enim qui apud Cœlites est rerum dispositus, causas in humanis non habet: trahendaq; potiùs iniuria temporum, in proficuum mortalibus argumentum, quàm noxijs sugillanda fortuna dicterijs; aut etiam ad destinatam Dei immortalis reuocanda vicissitudo sententiam, quæ, sicut interdum ex calamitate hominum gloriæ suæ materiem, ita hominibus benefaciendi sufficit occasionem. Sed hæc à me repetita sunt, ô Poloni mei, vt aliorum exemplo, liquidum euadat, quàm cauta debeat esse in præsenti fœlicitatis cursu fidentia: nec si nunquam alea deerrauit, idcirco perpetua constansq; censenda sit fortuna, quando nec animorum status, quamdiu sub Sole res inter caducas alligata versatur, stabilis sem-

per esse possit; nisi Diuina iniecta constantia, quâ supra vicissitudinem fertur, raro inter mortales gressu dirigatur. Et nisi maior indies incessat cupiditas ad proferendum in animis nostris regnum pietatis, nisi religio Virginis intemerato nostra in Patria pergat incessu, nisi debita templis obsequia suas habeant sanctitates, vana sit in Virginem pietas, inanis ab imaginibus religio, simulatum à donarijs obsequium. Opus est Catholici, vt Serenissimam Reginam Angelorum, Angelica animorum puritate colamus; vt inclytam reparatricem hominum Marìam, reformatis moribus & sincero corde inuocemus; vt purissimam Matrem Dei, impolluto labio veneremur; humilem Virginem, humili de nobis opinione, honoremus. Quæ cum scala Iacob, scalaq; cœli sit, & scalam sese nobis præbeat, ad sistendum in cœlo gradum, sed cuius bases humilitate sunt vallatæ (nec quispiam euadit ad fastigium, nisi qui gressum ab imo carpit) eapropter nullum maius bonum Religioni Christianæ Orthodoxæ, tàm patrum, quàm nostro æuo accidere potuit, quàm vt turbato opinionum dissidijs Orbe, viri prodirent semper optimi, doctissimi, sanctissimi, quorum opera & industria, Scala hæc elogijs exornaretur conuenientibus, quamuis nusquam ab hominibus & Angelicis mentibus satis laudari queat, commonstraretur imperitis, commendaretur auersantibus eam, deprædicaretur inter fideles & infideles. Quo vel sic aurea virtutis renascerentur sæcula, eius intercessioue apud Natum: nouo feruore Christianæ legis arcana inualescerent, eius auspicijs; nouo Diuinitatis pondere firmarentur, eius auxilio, pectora mortalium, partim frigore, partim scelere expugnato. Sed qui maximè sacrarum Imaginum cultum vindicarent, Sanctorumq; in cœlo regnantium necessariam inuocationem, in periculis & necessitatibus, scriptis suis demonstrarent, veterum Patrum more. His præsertim sciolis sæculi moderni, qui nimium sibi sapere videntur, & dicunt. Damnat Filius Dei traditiones

huma-

humanas Scribarum ac Pharisæorum (Matth. 15. & Marci 7.) propter quas, impedimenta mandatis Dei ipsi facessererent, eò præsertim, quòd Seniorum auctoritate, nec non originis & religionis antiquitate ligatos populi animos crimine grauarent ac inuidia, si contrauenissent. Damnat Isaias (cap. 59.) hominum doctrinas, & subimpetrata à vanitate inuenta, quæ sanctitatem mentita, prouocabant magis Cœleste Numen, quàm placabant: quòd qui huiusmodi commentorum essent studiosi, in corpore præsenti, longè à Deo abessent animis, labiumq; inane, pectus offerrent exanime. Damnat præterea Paulus (ad Colossen. 2.) deprædatricem sanæ mentis Philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. Vera hæc esse concedo omnia, sed in eo sensu prolata, in quo ipse Saluator intellecta haberi voluit, & tuam Hæretice mentem Pharisaicam, ibidem statim graphicè expressam, tacitè quidem, sed nimiùm prudenter confundit. Qua tu nimirum vltra cancellos humanæ conditionis elatus, puriorem quandam, nostra Catholica, religionem simulans, non modò ipsemet cœcus in omne nefas ruis, sed alios quoque, quasi lucri faciens Christo, in exitium trahis; excogitatis per te, secundum Isaiæ dicta, vanis opinionibus, iram cœlestem prouocantibus. Quod verò ad Paulum? scias quòd non omnem ille amandat Philosophiam, quemadmodum perperam tuus Magister Luterus intellexit, sed quæ sit inanis fallacia, superstitio gentilitatis, falsi nominis scientia; quæ sexcenta Platonicorum Scholis intulit deliria, plurimosq; hominum, quo minus rectè de Deo sentirent, dementauit. Et quam tu, vtrisque manibus amplexus, sacra irrides nostra omnia, abhorres disciplinam Catholicam, & mente insana præditus, meracissimas nugas, omnemq; impietatem sequeris. Nos verò, qui in Romanæ Ecclesiæ gremio commoramur, credimus pro nostra humilitate, Dei genitum de cœlis, vt homo fieret, descendisse, pa-

tefactaq; in humanitate diuinitatis potentia, & hoc ipſo planè perfecto ſalutis opere, in cœlum, vnde diuinitas nunquam receſſerat, humanitate ſubleuata, receptum eſſe: & per Spiritum deinde Sanctum, Apoſtolos docuiſſe, quicquid ad regimen Eccleſiæ, quicquid ad conſequendam æternam ſalutem neceſſarium foret, illis inſpiraſſe. Et quamuis virginitatis in Matre aſſertio, longè ab humano intellectu ſeiuncta ſit, agnoſcimus attamen, ſic ab Apoſtolis ipſis, Sanctiſq; Eccleſiæ Patribus edocti, Glorioſiſsimam Dei Genitricem Mariam, Virginem ante partum, Virginem in partu, & Virginem poſt partum extitiſſe; omnem prorſus errorem ſtultorum Collyridianorum abhorrentes, qui emotæ mentis homines, putarunt Virginem ab humanitate longè ſubleuatam, diuina fuiſſe natura præditam, ſimiliq; ac Deum immortalitate, communis debiti expertem fuiſſe. Profitemur Sanctorum inuocationem nobis in hac lachrymarum valle conſtitutis, valdè proficuam eſſe. Maximè verò inclytæ Cœlorum Reginæ, Matris & Sponſæ Dei, quæ nobis in ciuitatem munitam, & in murum æreum data eſt; vt nos confortet benedictionibus Nati ſui, donec appareat deſiderium collium æternorum. Veneramur imagines Dei Saluatoris noſtri Chriſti, eiusq; Sanctiſsimæ Matris Mariæ, ac Beatorum omnium in cœlo regnantium, vti amicorum Dei, ab ipſis Apoſtolis, & primitiuæ Eccleſiæ Patribus per traditionem edocti. Iam autem traditiones eæ demum auctoritatem apud omnes ac dignitatem promerentur, quæ, cùm fidei non officiunt, pietatem etiam inſtanter fouent; eædem verò ſi antiquæ ſint, vetuſtate ſua ſanctitatem conciliant; ac poſtremùm, ſi religioni non parum adminiculi præſtant, ſacroſanctæ meritò cenſeri debent, vt qui eas violare dicto factoue auſit, in Diuina omnia humanaq; iura peccaſſe conuincatur. Enimuerò de imaginibus in Eccleſia Catholica, & conſeruandis, & colendis, eſt traditio ab Orthodoxis, recepta ſtatim ab initio Euangelij, ſcri-

pturis

pturis Patrum Sanctorum, fideiq; minimè repugnans, auctoritate humana non infirma, diuina significatione longè præstantior, pietate crescente in dies validior, religione per tot sæcula propugnata sacratior, denique certa apud exteros fama percelebris, sed innata Polonorum consensione, quæ veritatis lingua est, constantissima. Et anni certè, si interdum indices sunt rerum, non semper securi veritatis pararij, ac vt ipsi sunt fugaces, ita memoriam fugant, nec stabilem rerum cognitionem ingenerant. Quin rerum scriptores vel citimi temporibus, quæ gesta pariebant, in immensum interdum euariant: quid de ijs cogitandum, qui longè remoti, ad rimanda retroacta sæcula dioptram non habent? De Inuocatione attamen Sanctorum, nusquam vel à temporibus Apostolorum dubitatum est, nisi à Catholicæ Religionis hostibus: nusquam de Virginis Theotocon, erga genus humanum beneficijs, fauore, atque singulari patrocinio, inter Sanctos Patres controuersum, nisi inter profugos Apostatas, & emotæ mentis homunciones, quos vel solus omnes confutare luculenter, potest deuotus Virgini Bernardus; aut omnium religiosus laudator Canisius. Imaginum quoque sacrarum lucem, itidem nonnisi infernales tenebriones, toruo vultu aspiciunt, qui vt veritatis hostes sunt, ita nullius ferè sanctitatis aspectum sustinere valent. Maximè autem Domitricis hæresum Virginis splendorem, blæso aspectu perferre non possunt, quòd illa tota Sole cooperta, solem Iustitiæ in vtero gestauerit, obtinueritq; repromissiones, per ora Sanctorum de se effatas, *vt manus eius essent, in ceruicibus inimicorum illius.* Et, *prælians prælìaberis in victoriis, & onusta prædis captiuorum triumphum ages.* Pulchrè Hilarius, & ad rem nostram (lib. 7. de Trinit:) *Hoc habet proprium Ecclesia Christiana, vt dum persecutionem patitur, floreat: dum opprimitur, crescat: dum læditur, vincat: tunc stet, cum superari videatur.* Nam quò peruicatius moderni Hæretici, Sacrarum Imaginum cultum impugnant, eò maioribus gratijs apud il-

las,

las, Numen Cœleſte mortales ditat; & quò eas magis virulentibus linguis blaſphæmant, eò Deus maioribus ſignificationibus,ſeruorum ſuorum deuotionem,erga illas comprobat,& in dies auget:Czenſtochouienſis verò Imaginis in Claromonte venerationem ſibi beneplacitam, ita quotidie nouis beneficijs exauget, vt quam Diua Virgo,ſemel gentem ſibi addixiſſet,& in quam non humano diſpoſitu, ſuam inferri Imaginem voluiſſet, eam diuerſis iam pridem ornamentis ditet:templum deniq; Theotocon Mariæ,lecto loco,dicari vellet, in quo illa velut ex deſignato adyto, vota clientum ſuorum nouis quibuſdam gratiarum ſuffragijs exceptura eſſet: vel etiam è ſpecula in alto ſita, in defenſionem, communemq; omnium vtilitatem proſpectura. Hinc energumenos liberare, morbos abigere, mortuos reſuſcitare, priuatorum pericula propulſare non inſuetum ibi: quin iam aſsiduitate hæc viluerunt. Cum nemo prorſus locum illum adeat contritus corde,cui Virgo,vel noxarum à Nato condonationem non ferat, vel glorioſam de aduerſarijs victoriam non condonet. Vt non humanis rationibus & coniecturis inducar ad opinandum, ſed multis & non dubijs cœlo ſignificationibus, quibus nemo non ſapiens ſecurè in hanc ſententiam ingreditur, Virginem ipſam cœlo ſublimiorem, non iam in imagine picta, ſed vera ſui ſpecie palàm de die exhibita, & de nocte in ſomnio, complures clientes ſuos conſolationibus repleuiſſe diuinis. Teſtantur id donaria appenſa,& ſubſcriptionibus eorundem ipſorum quibus auxilio & ſolatio adfuit comprobata; teſtantur tabularia Cœnobitarum ibidem commorantia; teſtantur & ſcripta piorum virorum diuerſa. Maximi ſiquidem ſunt viri, non in Polonia modò, ſed varijs quoque in prouincijs viciniæ noſtræ, quibus ſedet pietas ac religio Imaginis Czenſtochouienſis, qui hæc diſertiùs in lucem Catholici Orbis protulerunt. Nobis ſufficit breuiter hîc adnotaſſe,vt è Palæſtina in Poloniam,hæc ſacra Imago fuerit illata, vtq; miraculis,per tot iam ætates claruerit.

rit. Cuius nimirum rei hanc inſignem traditionem, eum fidei decretis minimè pugnantem, pietati maximè conſentaneam, antiquitate primam, religioniq; ſummè proficuam ex probatiſsimis authographis collegimus. Ad quæ omnia ſi accedat nullo non tempore continuata diuerſorum Principum deuotio, populi in Virginem indies ardentius ſtudium, multaq; alia cœlo teſtimonia, vt humanas taceam auctoritates, non modò temerarius ſit qui diſſentiat, ſed planè à pietate alienus qui dubitet. *Traditio igitur tibi prætendetur auctrix*, ô ſcelerate Iconoclaſta, *conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix* inquit Tertullianus (De cor. mil. cap. 3. & 4.) & contritis maleuolorum calumnijs atque procatia, altius indies aſſurget Virginei pignoris in pijs pectoribus memoria. Theophilus Imperator Conſtantinopolitanus, volens eligere ex omnibus Imperij ſui virginibus pulchriorem in vxorem, conuocauerat filias omnium Principum & Nobilium, inter quas vna Icaſia nomine, ſua pulchritudine omnes adſtantes rapuerat in admirationem ſui. Imperator experiri volens, num pulchritudini corporis etiam vigor, & prudentia animi reſponderet, conuerſus ad eam dixit. *Per mulierem omne malum deriuatum eſt in mundum*, Cui illa decenti cum verecundia. *Etiam per mulierem omne bonum proceſſit in mundum*, ſubintelligendo Virginem Mariam, per quam ſalus apparuit mundo. Reuera enim omne bonum per illam/ quia illa ipſa eſt primogeniæ Euæ correctio, mulierum ornamentum, humanæ naturæ venuſtas, cœleſte prodigium, atque ſacratiſsimum ſpectaculum. Illa ipſa eſt rerum omnium conditarum Domina, diuinum inter Deum & homines conciliationis inſtrumentum, fidiſsima cœleſtium donorum diſpenſatrix. Illa ſacroſanctum Æterni Regis palatium, ornatiſsimum Diuinæ gloriæ templum. Illa theſaurus vitæ immortalis, miraculorum compendium, prodigiorum ſummum prodigium. Illa Mater miſericordiæ, Mater gaudij ſempiterni. *Cui tantam contulit Deus gratiam*,

E inquit

inquit Andreas Archiepiscopus Cretensis, *vt ex eius affluentia, vnumquemque cultorem sua possit custodire, plus quàm Angeli; de omnibus locis diligentiam habere, plus quàm Archangeli; de omnibus Regni prouidentiam, plus quàm Principatus. Dedit ei super Dæmones potentiam, plus quàm Potestatibus; mirandorum efficatiam, plus quàm Virtutibus; super alios electos præeminentiam, plus quàm Dominationibus. Dedit ei pacem & quietem in suo throno, plus quàm Thronis; sapientiam profundam, plus quàm Cherubinis; charitatem succensam, plus quàm Seraphinis.* Dedit denique supra omnes Sanctos, omnium gratiarum & donorum cœlestium plenitudinem. Ergo domitrix hæresum Maria. Propulsatrix malorum Virgo Christifera, Aduocata Christianorum, Mater ante sæcula Geniti, Sospitatrix Sarmatiæ nostræ, Diua Diuarum gloriosissima, quæ, cùm omnium vota & preces vbique exaudit, tùm in Claromonte Czenstochouiensi Polonis clientibus suis, singularia beneficia largitur; vicissimq; animos Polo ad se auertit, obsequium auctorat, fidem ad Deum religat. Hinc, qui Dicomarianitarum calumnijs infectus non est, agnoscet Numen Virginis, vbi primùm sacram eius Iconem inspexerit. Aucupabitur gratiam Nati, cum adorauerit vultum Matris, quem perpetuò deprecabuntur omnes diuites terræ. Videbit Altissimi virtutem, cum excitata ibidem per Virginem miracula mente deuota perlegerit. Quæ etsi paucis, & exempli duntaxat gratia, tantùm libellis narrata sunt, sufficiunt attamen, quo parem in bello & pace; domi, forisq; felicitatem; & in quouis discrimine certum præsidium, in Virginis ope, ad hoc velut asylum flagitanda, imò requirenda, semper Sarmatis reposuisse testatum sit. Qui Patriam igitur Religionem, Virginem amat, non pertranseat quæso locum, insalutata Regina Cœlorum, quæ nos in suam singularem tutelam accepit, & à pijs Regina Poloniæ appellari amat; non grauetur incuruare genu, cum à longè etiam Clarummontem conspexerit, in quo illa deuotos Sarmatas sibi,

claris

claris atque manifestis beneficijs beat; adoret vbique locorum Dei Matrem, quæ inclytum genus Lechi, in filios sibi adoptauit, in clientes accepit, & à barbarorum feritate, vti veros Christi Filij sui cultores, munitionibus, propugnaculis, arcibusq; inexpugnabilibus, ac omni prorsus bellico apparatu destitutos, peculiari protectione tuetur. Nolo huius rei complura testimonia, præteritaq; exempla adducere, ne nimiùm prolixus videar; duo tantùm aut tria, excitandi ad pietatem lectoris causa, memoriæ hominum propinquiora, breuiter adnotabo.

Anno Messiæ nati, millesimo quingentesimo trigesimo septimo, illustris familiæ in Podolia vir, Procopius Sieniauius, iuerat pro sua animositate obuiam Scythis, in Poloniam irruere conantibus, vsque in Valachiam, aggressusq; inopinantes, ita fortiter cum illis pugnauit, vt paucas licet cohortes secum habuerit, numerosissimum nihilominus ipsorum exercitum, acie pulsum, in fugam turpissimam conijceret. Sed cum prosperitate elatos milites suos, nimiùm fugientium tergis instare videret, insidiasq; barbarorum non temere veritus, parum obaudientes ipsemet ad ordines reuocaret, primus in casses Valachorum, Tartaris suppetias ferentium, incidit: à quibus agnitus, & circumuentus, dum audacius pro suo genio resistit, equum cui insidebat, in medio calore amittit, contis ab vtrinque confossum. Igitur ope humana destitutus, dum se lanceis vndique septum videt, ne in manus hostium veniret, ad Diuinam confugit misericordiam; oculisq; in cœlum sublatis, Magnæ Dei Matris auxilium inuocat, animo simul & corde vouens, sacram eius Iconem Claromontanam Czenstochouiæ visitaturum, vt primùm fuisset è manibus barbarorum liberatus. Audit illa benigna, & viribus præ timore menteq; destitutum, ita in hostes continuò animat, vt quasi à limine fati reuersus, qui iam animo penitus conciderat, cuidam approximanti sibi, gladium eriperet, & generoso spiritu concitatus, alios protinùs inter-

ficeret, alios vulneribus grauatos, in fugam effuſiſsimam conuerteret; & interim conſpectus à ſuis, adiutusq́;, equum ſubminiſtratum ſibi conſcenderet, cœptamq́; victoriam feliciter proſequeretur. Quapropter in Patriam cum triumpho reuerſus, Regemq́; Sigiſmundum, de more gentis veneratus, in Baſilica Diui Staniſlai, capta ex hoſtibus ſigna è tholo ſuſpendit, deterſisq́; militum ſudoribus, Clarum montem Czenſtochouienſem ſupplex adijt, miraculoſeq́; obtentam victoriam, ſolerti pictoris manu expreſſam, monumentũ Diuinæ miſerationis, & luculenti auxilij Genitricis Mariæ, in templo eius reliquit. Vt vel ex ſolâ illâ picturâ facile agnoſcas, non in paruis rebus, Deum propitium, auxilium afferre ſolere, ſed tum potiſsimùm, quando ſpei ſupereſt minimum. Tanta ſiquidem repentè fuerit facta ſtrages cadentium barbarorum, in acie illa, mucronibus vltrò ſanguinem impium haurientibus, vt nequaquam aſpectum Ducis Chriſtiferæ Virgini deuoti, multiplicatis etiam aciebus ferre potuerint, & vel ex vultu ipſius adeſſe illi Numen cœleſte agnouerint. Idem & in Mari Mediterraneo accidit, cum Siciliam inuadere Turca pararet. Meliteníes etenim cum claſſe illius congreſsi, triremes aliquot in conflictu illo cœperunt, & domum cum victoria redeuntes, prope Goletàm in ancoris ſteterunt: interim coorta tempeſtas inopinatò, & captas barbarorum, & Melitenſium nonnullas ſubmerſit. Procopius Pienionzek eiuſdem Ordinis Eques, in ſua triremi, eandem fortunam, quàm & cæteri, expectans, vt mortem euadere poſſet, votum ad Virginem concepit, locumq́; Clari montis in patria ſua ſupplex viſitare promiſit. Audiuit Diua, & ſerenitatis interim futuræ ſignum apparuit, radijq́; Solares, confeſtim nubes diſsiparunt. Igitur qui cum ipſo fuerant, ſpe certa ſalutis confirmati, inſidiantes ſibi inter ſcopulos Saracenos, audaciſsimè aggrediuntur, fugant, vincunt, capiunt; & ad portum incolumes reuerſi, glorificant Deum, cui venti & maria obediunt; Mariã verò ma-

ris

ris ſtellam lucidiſsimam, laudibus extollunt. Cuius ſacram Imaginem, prædictus Eques, Czenſtochouiæ viſitans, Anno. 1577. teſtimonium in ſcriptis reliquit. Cœterum non vna voce iam, illis quoque ipſis, qui bella aduerſus gentem noſtram mouerunt, conteſtatam fuiſſe Virginis protegentis opem ſcimus, qui toties ferè ſuccubuerunt in bello, quoties arma iniuſta contra Poloniam ſumpſerunt. Et Sigiſmundo I. bellum cum Moſcouitis, nulla cauſa à nobis prouocatis, more defenſiuo gerente, cum Ioannes Conarius Præſul Cracouienſis, ad altaria Diuæ, pro felici rerum ſucceſſu, ſacra in Claromonte perageret, ipſo Natiuitatis eius glorioſæ die, ſupplicationibus populo indictis, accidit, vt ſub tempus Liturgiæ, Oenergumenus quidam, ingenti voce exclamaret, *Eia fratres, quam multos hodie ſocios in inferno habebimus?* Et tandem, poſt vnum quaſi quadrantem horæ, ſub finem tremendi Sacrificij adijceret, *O Maria, quam feruenter tu intercedis, pro tuis Nazaretanis*; Illa enim ipſa hora, Regem cum hoſtibus ſuis apud Orſam depugnaſſe, poſtea cognitum fuit. Qui cæſis vltra quadraginta, captisq; amplius decem millibus, de barbaris, votum Deo exercituum Domino vouerat, Matris eius Sanctiſsimæ Imaginem Claromontanam Czenſtochouiæ viſitare. Quod & paucos intra dies exſoluit, munera obtulit, Summumq; in Eccleſia Dei Pontificem, Leonem X. de omnibus rebus, per Legatos ſuos, certiorem fecit, implumem adhuc famam tunc, minimè Romam aduolare potuiſſe exiſtimans. Verumenimuero, quia tempus adeò ſui ipſius edax eſt, & memoriam abſumit, vt quæ nuperrimè geſta in oculis vidimus, vix ordine ſuo, ſuisq; annis, nedum menſibus ac diebus conſignare ſine errore valeamus; quid de ijs dicendum putabimus, quæ priſcis annorum ſtadijs præterierunt, & quæ in ſuo ortu citiùs conſenuerunt, quàm cum ætate virentis famæ ad nos peruenirent, quantumuis adeſſe ſuis momentis tempora nimium feſtinarent. Ideo recentiora Virginis, erga nos, clientes ſuos beneficia

ficia recenſeamus, quæ, paſsim patratis noſtra ætate miraculis, in cæteris quoque imaginibus ſuis religionem, in ore verò vulgi, famam vbique obtinuit. Hinc Borcum, in Maiori Polonia, frequentiùs à pijs hominibus viſitari cœptum: Gidle, Miſlenice, & templum Sancti Ioannis Cracouienſe, in Minori Polonia. Iaroſlauia & Lezaiſcum in Ruſsia. Skompe atque Siebrcia, in Maſouia. Supraſlum & Zorauice, in Lituania. Socalia, in Volhynia. Aliaq; complurima Sarmatiæ noſtræ Europeæ loca, beneficijs Virginis celebria facta. Omittam, vt toties diuerſi Patriæ noſtræ hoſtes, eius ope, fuerint à finibus profligati; vt in viſceribus Regni, graſſantes Schiſmatici, multoties compreſsi; vt Hæretici, Hydræ in modum, attollentes capita, à Poteſtatibus deſuper datis, penitus ſunt conculcati: Vt Machometanæ gentes inſigniter armis vindicatæ. Præcipuè ſub extremum imperij, Sigiſmundi Tertij Pijſsimi Regis. Cum enim Scythæ Anno Virginei partus, vigeſimo octauo, ſupra milleſimum ſexcenteſimum, per Pocuciam irrupiſſent, iteratiſq; duce Kantimiro, in prouincias Ruſsiæ excurſionibus, oppida euertiſſent, matreſfamilias, virgines, pueros ingenuos raptaſſent, vix reſiſtentibus vrbibus grandioribus, ne dicam municipijs, aut pagis: cum, inquam, ſic omnia incendio conſumpſiſſent, aſsiduis populationibus deformaſſent, direptiſq; nobilium villis, & agris vaſtatis, curias eorum penè excidiſſent, tandem populo vniuerſo, Virginis opem implorante, à Ducibus noſtris, aliquoties ſunt ad internecionem cæſi proſtratiq;. Maximè apud Burſtinũ, ipſo die feſti Sanctæ Mariæ Victorialis; qui dies ab omnibus Chriſtianis, ob memoriam victoriæ Naupactenſis, celebratur. Quid de bello Turcico dicam? quid de illo terrore Chriſtianitatis, Oſmano Sultano? cum vnicuique notum ſit, vt Ottomanigenæ, copijs ex Aſia traductis, vniuerſis trans & vls Danubium Regnis, atque nationibus frœnum inijciunt, vt vicinas gentes cladibus perpetuis afficiunt; ſola Polonia indomita. Quæ Chriſti habenis aſſueta, barba-

barbaro iugo ceruicem inflectere non ferebat, tametsi aliquoties olim Tartarorum oppressa copijs, suorum sanguine redundarit: non vtique sine cœlesti consilio. Quòd Martius ille piusq; cruor, irrigata velut Patria, seminarium faceret posterorum, libertatis & fidei, quàm vitæ amantiorum, vel recenti adhuc calore, ad maiora paulò post audenda, præsentium pectora inflammaret. Vnde, licet pio Pontificum nostrorum instituto, per vniuersum orbem Sarmaticum, in ea victoriæ vota, publicis vbique supplicationibus Deipara vocaretur, quòd non solùm ex communi fidelium sensu, nec vnquam spe fallaci constaret, ipsam præ cælitibus apud Natũ efficacissimè pro Christianis interpellare: Speciali attamẽ religione, Vladislaus IV. Princeps tunc, suo, Parentisq; sui Inuictissimi semper, nomine, ad visitandum sacram Theotocon Imaginem Claromontanam, pro suis Polonis obstrinxerat; effeceratq; tam pio voto suo, vt bellum illud toti Europæ terribile, paucis diebus conficeretur; & victoria illa, qua fortasse maiorem à condita Polonia, Daciæ solum non conspexit, Mariæ Virginis sospitatu, à partibus nostris stetisset; Tyrannusq; inglorius ad suos reuersus, à proprijs militibus per tumultum discerptus, hostia non ingrata ad Inferos descendisset. Cum itaque Maria sit Aduocata nostra, Sospitatrix nostra, Patrona Sarmatiæ, & Regni Poloniæ inclyta Regina; quæ cùm vbique passim, tùm præcipuè in Claromonte Czenstochouiensi, tribulationes plebium, pericula populorum, captiuorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria iuuenum, vota virginum, & lamenta viduarum exaudit: idcirco ad eam omnes accurramus, ante eius sacram Iconem, preces nostras effundamus, clamemus in cœlum, vt non in iustificationibus nostris, sed in miserationibus Nati sui, insurgentem iterum in nos immanissimum Asiæ Tyrannum, longè à ceruicibus nostris repellat, gentes Christianas iugo grauissimo

ſimo ab illo preſſas, in priſtinam libertatem aſſerat, locumq; iſtum ſacrum, ex quo nos Polonos aſpicere dignatur, ita ſuetis beneficijs illuſtret, vt nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio, quicumque modò Czenſtochouiam adeunt, aut de longinquo Diuam Claromontanam venerantes, Deum in Trinitate vnum, corde contrito adorant.

D I X I.